
36.18.6.1

GENVENSIS REIP. MOTVS A IO. ALOYSIO FLISCO EXCITATVS

EIVSDEM, ET L. SERGII CATILINAE COMPARATIO

Auctore Iacobo Maria Campanacio

Ad Ill.mum & Exc.mum D. D. Ferdinandum Gonzagam Melficti, principem, &c. ac magnum in Regno Neapolitano Iuſtitiarium.



BIBL. COLLEG. SS. BLASII & CAROLI DE URBE
P A

Bononiæ apud Alexandrum Benacium. Superiorum permiſſu.

CIϽ IϽ XXCIIX.

1598

GENVENSIS REIP.
MOTVS
A IO. ALOYSIO FLISCO
EXCITATVS
EIVSDEM, ET L. SERGII CATILINAE
COMPARATIO

Auctore Iacobo Maria Campanacio

Ad Ill.mum & Exc.mum D. D. Ferdinandum Gonzagam Melficti principem etc. ac magnum in Regno Neapolitano Iuſticiarium.



[illegible]

*2 CIϽ IϽ XXXIII.

ILLVST.MO ET EXCELL.MO

D. D. FERDINANDO GONZAGAE, MELFICTI PRINCIPI

Guaſtalla, & Campobaſſi Comiti, ac magno in Regno Neapolitano Iuſtitiario.

Iacobus Maria Campanacius felicitatem.

CVM ex diuturna quaſi peregrinatione, ac magna magnorum virorum frequentia in patriam, priuatamq; domum me receпiſſem, quantum mihi negocijs familiaribus implicato tributum eſt

otij, id omne legendis hiſtorijs libenter impertiui, atque eam agro animo potiſſimum adhibui medicinam: ægrius enim tuli vnquam nihil, quam vt eorum conſuetudine, & conſpectu carerem, quorum præſens ſummam erga me beneuolentiam, atque humanitatem diu perſpectam habuiſſem, abſensque eandem in dies experirer. Huic tamen malo mederi vel vnam hiſtoriam vſu cognoui. Nam præterquam quod earum rerum lectio periucunda eſt, quarum quis vel minimam aliquando partem, vel imaginem vidit, varij etiam caſus, rerum viciſſitudines, & motus animum mire confirmant, atque optime inſtituunt. Nouiſsime vero hortantibus amicis, atque adeò impellentibus factum eſt, vt qui rerum geſtarum vix lector eſſem, ſcriptor repente exiſterem, remq; omnium difficillimam ſuſciperem. quemadmodum enim hiſtoria nihil iucundius, nihil ipſa vtilius eſt, ita eam aggredi arduum vſque adeo, ac magnum eſt opus, vt vix ſingulis ætatibus tolerabilis,

extiterit hiſtoricus, optimus vero nec multis quidem ſeculis inueniatur. Atqui tantum muneris tam etſi me tueri nequaquam poſſe ſciebam, illud tamen non ignorabam, ceteris artibus, niſi perfecte abſolutis, nullam eſſe gratiam, hiſtoriæ quoquo modo ſcriptæ haud mediocrem vtilitatem, animiq; oblectationem ineſſe. Hoc omnino videbatur eſſe verendum, ne leuitatis, atque adeo impudentiæ, omnium iudicio, condemnarer, qui tibi ampliſſimo, ac præſtantiſſimo Principi tam exilem, ac ieiuna conformatum oratione libellum dicare auſus ſim. Ego vero ita mecum reputabam, nullum opus tam perfectum, atque elaboratum poſſe excogitari, quod ſi cum ſummis virtutibus tuis conferatur, rude prorſus, atque imperfectum dici non poſſit; contra nihil vſque adeo vile, aut obſcurum inueniri, quod non in primis magnificum, ac præclarum eſſe videatur, ſi tui tantum nominis ſplendore illuſtretur. Paucis enim, ne dicam nemini, maturiſſima ætas in imperio, atque in publi

ca dignitate eam gloriam attulit, quam tu in florentiſſima ſumma cum omnium admiratione conſequeris, qui diuitijs, & genere clarus, iam per te ipſum clarior clariſſimum, ac præclariſſimum te omnino futurum, certiſſimis, grauioribusq; in dies confirmas argumentis; quando tot, tantisq; natura, atque omnium diſciplinarum ornamentis adoleſcens cumularis, vt omnes vnũ te, quod magnum in primis eſt, ac ſingulare, non minus benefacere, quam bene & dicere, & ſcribere poſſe vno ore confirment. Verum cum inter innumerabiles tuas virtutes vna celebretur humanitas cum ſuauiſſimis moribus, ac iucunda comitate coniuncta; hac ego ipſa fretus, atque eo præſertim, quod veteribus, ac recentioribus cauſis adductus, in te colendo, obſeruando, atque omni ſtudio proſequendo, merito concedam nemini, orare te, atque obſecrare non deſinam, vt hilari, quo ſoles, animo, eius munuſculum, atque adeo patrocinium ſuſcipias, ac tuearis, qui ſe omnia tibi,

tuiſq;

tuiſq; debere, & cupere, & augurari fateatur, atque etiam profiteatur. Diu te Deus Princeps ampliſsime vna cum ijs omnibus, quæ tibi cariſsima ſunt, ſaluum, incolumem, felicemq; velit. Bononiæ Kal. Nouembris.

CIↃIↃ XXCIIX.

INDEX.

A

ABſentes vanis rumoribus, præſentes veritate nituntur. pag. 49

Adamus Centurio vir primarius 26

Adurnij, & Fulgosij populares 18. Gibellinæ factionis: imperiū occupāt ibidem. inter ſe diſſident: ibidem. a Gallis eijciūtur, ibidem. perpetuo exilio damnantur 24

Aggregatio in alienas familias 24. priſcorum exemplo inſtituta, ibidem.

Aloyſius Iuria monet Principem; vt fuga ſalutem petat 63

Alphonſus Vaſtij Marchio 12

Amantes facillime decipiuntur 44

Amicis fidere iucundiſſimum, eorum ſequi ſententiam vtiliſſimum eſt 32

Amicus certus in re certa dignoſcitur 44

Andreas Auria patriæ patrocinium ſuſcipit 20 Franciſco Regi aureum torquem remittit 21 ſtipendium Regis repudiat, ibidem Cæſari ſe adiunxit: Gallos eiecit: Sauo-

nam recuperauit: pater patriæ appellatus eſt, ibidem. Donat Marcum Antonium Carrettũ Melphiæ principatu 26. fallitur à Fliſco 28. 30. 46. podagra laborat 48 Seſtrium, ac Maxonem contendit 63 à Senatu accerſitur 71
Apennini mons tranſitus facillimus 19
Apuæ olim nunc Pontremoli 28
Aſpidis morſus 81
Audacia ex alieno metu 68
Audacia magnum præſidium 37
Auguſtinus Spinula ſtrenuus dux 76 deligitur ad coniuratos opprimendos, ibidem.
Auriæ & Spinulæ familia 17

B

Baptiſta Iuſtinianus, et Baua negant ſe Fliſcũ ſequuturos 57. in Cubiculo aſſeruantur. 57
Benedictus Centurio, & Dominicus Auria legati ad Principem 71
Bona tanto ſtudioſius amplectimur, quanto mala magis vitanda ducimus 77

C

Capha hodie Theodoſia 5
Capua Romæ inuiſa 2
Carolus Cæſar bello germanorum implicatus 9
Cauſa odij Pauli ſummi Pont. in Principem 29
Cauſæ odij Ioannis Aloyſij in Iannettinum 26
Cæſar Fulgoſius in Pado interfectus 12
Chriſtophorus Columbus 2
Cicero ipſe a Fliſco decipi potuiſſet 81
Claſsis Genuenſis dominus Genuæ facile dominatur. pag. 44

Con-

Coniuratio Fliſci inſignis 7
Coniurationem perficere difficillimum 80
Coniurati Montobium ſe recipiunt 69
Auguſtino Spinulæ ſe dediderunt 76
ultimo ſupplicio afficiuntur 76
Conſilia Callida prima ſpecie læta tractu dura, euentu triſtia 43
Cornelius Fliſci frater 50
portam Arcus cepit. 59
in Galliam profugit 69
Cyrnus inſula hodie Corſica 4

D

Deus ſcelerum certiſſimus uindex 33
Diui Georgij domus erigitur 5
Dominij Genuenſis longitudo 5
Domus Principis regio ſumptu extructa 41
propter Ciuitatē ſita, ibidē.
Domus Fliſci in Carignani colle 54
euertitur à fundamētis 76
Draconis fabula e Plutarcho 56
Ducalis dignitas quando Genuæ inſtituta 4

F

Fernandus, & Iſabella reges Hiſpaniarum 9
ſanxerunt legem de Religione, ibidem.
Fernandus Gonzaga ſummus Dux 47
ad Figueroam litteras mittit ibidem
virtute Scipioni, aſtutijs Annibali conferēdus 48
Fliſci, & Grimaldi Guelphæ factionis principes 17
Fortunati incautiores efficiuntur 44
Franciſcus rex Genuā occupat 18
expellitur a Principe Andrea 21
Fridericus Imperator in Ita

lia Guelpharum, ac Gibellinarum factionum auctor 18

G

Genua habet portas quinque, & plures in mari aditus 59
Genuæ ſitus 1. *amplitudo, diuitiæ, amœnitas, ibidem*
Genuæ appellatio vnde 3
Genua a Magone diruta a Sp. Melio exædificata 3
in libertatem a Principe Auria vendicatur 21
Genuæ præſidium, quantum 40
Genueſes acri ingenio viri 2 *nauticarum rerum peritiſſimi, ibidem plurimas in Liguria, atque in Syria vrbes olim obtinuerunt* 4
Gloriæ, ac libertatis ſtudioſi. 5. *diſcordiarum fluctibus agitati* 6. 15 *priuato commodo inſeruiunt* 6. *in tres diuiduntur partes* 16. *proſpera fortuna virtutem deperdunt, aduerſa recuperant* 16
Imperium ſæpe mandare, ſæpius eripere ſolent 35
in vigilijs celebrioribus noctis ſpacia ducunt 43
Genuenſis viri vrbanum dictum 6
Gigãtes Corſus tribunus prætoriæ cohortis 52
Guelphæ, & Gibellinæ factiones vnde 17
Gulielmus Lãgeius Gallorũ præfectus 52

H

Hector Fliſcus ad Hieronymum Fliſcum a ſenatu miſſus 69
Hieronymus, & Ottobonus Fliſci fratres 50
Hieronymus vrbem ingreditur 64 *vrbe profugit* 68 *Montobium ſe recepit* 69 *vltimo ſupplicio afficitur* 76
Hieronymus Nobilis ad ſummum

mum Pontificem 29
Hieronymus Fliſcus Ioannis Aloyſij patruus præfectus Genuæ 10
a Fulgoſijs interfectus. pag. 14
Homines aliorum euentis prudentiores efficiũtur. 7

I

Iacobus Fliſcus magiſter equitum Regis Gallorum 10
Iannettinus Auria à Principe amatur, ornatur 26
Principis legatus, principem locum auctoritatis obtinet, ibidem.
vir magno animo, & virtute præditus 62
ſolus ad Sancti Thomæ portam contendit, ibique interficitur, ibidem.
Improborum pœna 78
Imperialis Auria 29
Ioannes Aloyſius Fliſcus nobiliſsimus 7. *magno ingenio, ac prauo* 11
Iannettinum interficere deliberat 26
principem pariter de medio tollere ſtatuit. 27
principem dolis aggreditur 28 30 46
triremes põtificis emit 28
tentatur a Gallis 30
piraticam facturum ſimulat 30 *communicat conſilia* 31
Milites in vrbem introducit 46. *Nauale aggreditur, & capit* 61
in mari prolapſus necatur 65
Ioannes Andreas, et Paganus Iannettini filij 50
Iulius Marchio Maſſæ 42

L

Laus præcipua quenã ſit 37
Ligures Italorum poſtremi ſub Imperio Romano 4
Locus, in quo Coniurati conuenerunt 53

M

MAgiſtratus omnes Genuæ diuiduntur pag. 24
Magnanimi arte vincuntur 44
Mala intelligenda vt præcaueantur 77
Malitiæ magna uis 24
Malo domeſtico, & occulto nihil peius 50
Maria Rouereia Fliſci mater 11
Marij verba ad Silonẽ 82
Metus quo obſcurior, eo amplior 67
Montobium obſidetur 76 deditur ibidem
Multi ad cœnam cum Fliſco inuitati 51

N

NIcolaus Foderatus Fliſci affinis 41
Nobilitatis, & plebis perpetuum diſſidium 14

O

OCculta haud impune multis credũtur 80
Oppida Fliſci inter multos diuiſa 76
Ottobonus Fliſcus Ioannis Aloyſij frater 50
Sancti Thomæ portam expugnat 61 ſe in Galliam recepit 69 ibi incolumis ſeruatur. pag. 76

P

PAtritij Genua eijciuntur 17 ſoli Rempub. adminiſtrãt. 22 & 23 popularibus, ac plebi infenſi 14
Paulus Panſa vir probus. pag. 37
Petrus Aloyſius Farneſius. pag. 28
Petrus Toletanus 9
Petenti denegandum nihil, cui liberum plectere 72

Popedij Silonis verba 82
Populares, & plebei in patritios cooptantur 23
Princiuales Fliſcus 11

R

RAphael Saccus 31 *capitur & morte mulctatur* 76
Romedia acriora vulneribus ſalutaria 33
Rempub. amplificare maximum eſt opus 23
Res per ſe ſpectanda, non narrantis auctoritas 8

S

SApientis eſt tempori cedere 72
Scipio Burgoninus ſtrenuus Centurio 61
Sententia pro coniuratis 71
contra coniuratos 73
Sergianum oppidum 5
Sermones contra Fliſcũ 69
Signifer ad explorandum a Senatu miſſus 67
Simon Buccanigra primus Genuæ Dux 4

T

THomas Aſſeretus 60
Triremis Fliſci Genuæ 45. *ad pontem Cataneorum* 60
Triremes Principis ſpoliantur 66
Triremibus in Nauali admiſſis nullæ cuſtodiæ imponuntur. 61
Turpis vita morte ipſa peior 73

V

VErina vir audax & callidus 31. *peſſimi auctor conſilij* 36
Maſſiliã trãſuectus 69
capitur, et interficitur 76
Veritas mora, celeritate falſa vim acquirunt 41
Vincentius Calcagnus 31

FINIS.

HISTORIAE
HVIVS EPITOME.

IOannes Aloyſius Fliſcus Genuenſis adoleſcens, generis nobilitate, ac formæ pręſtantia conſpicuus, illuſtri quidem; at prauo tamen fuit ingenio: is inuidia potiſſimum, ac dominandi cupiditatē incitatus, Iannettinum Auriam, qui primum auctoritatis locum in Ciuitate poſt Principem Andream Auriam obtinebat, interficere, patriamq; Gallis tradere deliberauit. Amicos ideo, & fautores cum arte mira ſibi vndiq; comparaſſet, Pauli Pontificis maximi triremes emiſſet, ac Principē

Auriam, qui eum non ſecus, ac filium amabat, fouebat, incredibilis ſpecie cultus, & obſequij omni fraude, ac perfidia fefelliſſet, in maximam rei bene gerendæ ſpem adductus, conſilioq; cum Verina, Sacco, & Calcagno ſui ſtudioſiſſimis communicato, Verinæ ſententiam eſt ſequutus, vt deletis videlicet inimicis omnibus Reipublicæ dominatum nemini traderet, ſed eum ipſe occuparet. Ratio perpetrandi facinoris initur, diesq; pręfinitur. Interim triremem vnam, ac milites circiter trecentes illius armandę nomine, ac prędatũ mittendæ Genuam accerſit. Statuta die ad triginta ex plebe, & popularibus Genuenſibus ad cœnam inuitat; patriam Andreæ Principis, ac Iannettini ſeruitute ſe liberare omnino decreuiſſe inquit, vt ſibi præſto ſint, orat, atq; impetrat. Secunda igitur vigilia, portas vrbis, ac Nauale, com pluribus interfectis ex pręſidio militibus, expugnat. Iannettinus quoq; ipſe, qui ad ſancti Thomę portam accurrerat, obtruncatur, Princeps in fugam conijcitur. Ac

dum

dum ipſe Fliſcus in Principis triremes impetum facit, easq; percurrit, Genuenſium fœlicitate accidit, vt vna cum mobili ponte in mare prolapſus, ac ſubmerſus ſit. Eius caſus ſtatim atque vulgatus eſt, ſe ſe omnes coniurati ex Vrbe proripiunt, ac Montobium Fliſci oppidum recipiunt. Principe Andrea in Vrbem a Senatu reuocato, Montobium Genuenſes obſederunt, eoq; tandem dedito, coniuratorum complures capti, ac ſupplicio affecti. Fliſci oppida iuſſu Cęſaris Genuenſium Reipub. Principi ipſi, alijsq; nonnullis attributa ſunt, eius domus ſolo ęquata. Vna denique, eademq; nocte Genua in ſummum adducta diſcrimen, atque in ſtatum priſtinum, ociumq; reſtituta eſt.

Grauiora errata	correcta:
pag. 1. *Thirreni*	*Tyrrheni*
3. *Genu*	*genu*
6. *diſſenſionum fluctibus*	*diſſenſionum ciuilium fluctibus.*
7. *Ioannis*	*IOANNIS*
13. *Holæ*	*Nolæ*
18. *præferrunt*	*præferrent*
20. *ipſi*	*ipſis*
24. *iuiderentur*	*viderentur*
27. *aut vnius quem*	*aut ſuum vnius quem*
40. *ſibi auxilia pollicitum*	*magna ſibi auxilia pollicitum*
45. *ſalẽ præterea, et olium.*	*Salẽ præterea et oleum.*

AD AMPLISS.mũ PRINCIPEM D. FERNANDVM GONZAGAM

In libellum de Genuenſis Reipub. motu illi dicatum

à Iacobo Maria Campanacio nobili Bonon.

Thomæ Corręæ Bonon. Gymnaſij humaniorum litterarum Doctoris primarij.

EPIGRAMMA.

*F*ERNANDE *Auſonia decus ingens, inclyta gentis*
Gonzaga ſoboles, digna parente, & auis,
Te celebrat, tibi ſcripta dicat, tua nomina ſcriptis
Inſerit, vt ſint hoc tuta patrocinio

***

Campanazzus, vt inde decus ſibi cōparet, vnde
Laus oritur, ſurgit gloria, perſtat honos.
Quamuis nec lingua, aut uox par nomina chartis
Exprimat, æternis æmula temporibus.
Te virtus, te ſancta Fides ſe iactat alumno,
Te Mars, te Pallas donat honore pari.
Muſarum tibi docta cohors, tibi doctus Apollo
Aonium cedit, cumq; Helicone nemus.
Dignus vtroq; polo, dignus cæleſtibus aulis,
Dignus qui ſedeas proximus inter auos.
Hic vbi perpetua vita ter maximus auctor
Præmia diſtribuit ciuibus æqua ſuis.

Eiuſdem ad eundem.

PEllæo inueni geminus Iouis armiger ales
Viſus adeſſe, ſoli ſubdidit Imperium.
FERNANDO ſimile auſpicium duplo ordine maius
Imperium quadruplex orbis habere notat.
AVREA nil mirum, ſi iam VICTORIA ceſſit;
Principium quale hoc; exitus talis erit.

IOAN-

IOANNIS BAPTISTAE MORELLI

ad eundem Principem.

HEroum FERNANDE decus, Gonzagia proles
Inclyta, & Auſonij gloria magna ſoli;
Munera parua quidē tibi Campanacius offert,
Attamen obſequij pignora certa ſui.
Aſſueſce, o Princeps, non temnere parua: nec hau
Arſacides rigida fronte reiecit aquæ. (ſtum
Forſitan ille tuos mox complectetur honores,
Et tua mandabit ſplendida facta notis.
Interea placido, quodcunq; eſt, accipe vultu,
Quod legiſſe velis, hic & habere potes.
Quod ſi operi inſcriptum non dedignabere nomen
Eſſe tuum, magni muneris inſtar erit.
Sic gratum cunctis, ſic tutum deniq; tanti
Se patrocinio Principis eſſe putat.

QUo raptat miſeros dominandi cæca libido,
Interdum heu ciues, impius atq; furor?
Ut Patriam, pro quá ferro obiectare deceret
Pectora diſtricto, fortiter & cadere,
Oppugnent, dulceſq; lares euertere Marte
Conentur tecto, compoſitiſq; dolis?
Sed meritas pendunt tanto pro crimine pœnas,
Fœdam conſequitur nam mala fama necem.
Nec deſit poſthac qui vel ſermone pedeſtri
Vel numeris tetrum vulget in orbe nefas.
Hoc olim vltrici ſenſit Catilina Megæra,
Nunc Eliſcus, priſca nobilitate potens:
Hæc faciunt monimenta fidē, nunc miſſa ſub auras,
Sunt vbi ſublimi vera notata ſtylo.
Rectius aliquanto & Brutum, fortemq; Camillū
Sectatus certis eſſet vterq; vijs.
Qui quòd pro patria hoſtiles adiere phalanges
Inuictis animis enſe micante manu,
Laurea ſerta ſibi, et ſummos peperere triumphos,
De quibus in gentes fama perennis erit.

Eiuſdem.

DIſcite mortales ſcelerum non quærere cauſas
Nec lucri ſtudio, facta inimica ſequi;
Si bene geſta probant plauſu vulgata ſecundo
Hiſtoriæ, & turpi turpia geſta notant.
Nil ſcelus heu ꝓdeſt, animas ſub tartara mittit,
Et fœda auctorem turpat vbiq; nota.
Sunt exempla, recens aſt hoc pernoſcite facto.
Turpius ecquid? quid pulchrius Hiſtoria?

IVLII SIGNII.

TAm graphice iuuenis bonitatem in pectore fictam,
Ut pulchro in Fliſco, cernere quis poterit?
Tam ſolidã iuuenis probitatẽ in pectore pulchrĩ
Vt GONZAGA *in te, cernere quis poterit?*
Formoſo in iuuene, vt Fliſco, tã turpe, nefandũ,
Occultum crimen, cernere quis poterit?
Tam forma inſigni inſignem, virtuteq; tanta
GONZAGA *vt te ipſum cernere quis poterit?*

Illis ante diem mors Fliſcum inuaſit, vbiq;
His GONZAGA *tibi vita perennis erit.*

Eiuſdem.

V*Atis, & hiſtorici magnũ qui nomen adeptus,*
Hæc monumenta tibi Regibus orte dicat:
Quæ vitare monẽt ſcelus: aſt vt quiſq; ſequatur
Virtutem, laudes, & tua facta leget.

GVLIELMI TRIVLTII.

F*Lagitat infauſtos Fliſci qui noſcere motus,*
Quemq; iuuat Doriæ cernere facta Ducis.
Campanazze tuum perluſtret rite libellum,
Singula qui doctè (laus tua) vera refert.

GENVENSIS REIP.

[illegible]

GENVENSIS REIP. MOTVS

A I. A. FLISCO EXCITATVS.

VRBEM Genuam antiquiſsimo iure libertatis celebrem inter principes Italiæ vnam cenſeri ſatis conſtat. Huic enim ad radices Apennini, mariſque Thyrreni littus peranguſtum ſitæ (ſterili, & aſpero ſane loco) quęcunque natura denegabantur vitæ commoda, neque arte effici poſſe videbantur, ea quidem omnia ſic abunde ſolertia hominum comparauit, vt omnes omnino ipſam villarum frequentia, & amœnitate Neapoli, ædium magnificentia Romæ, mercaturæ ſtudio Florentiæ, ac Mediolano non diſsimilem eſſe fateantur. Atque harum nulli cum neque rerum omnium abundantia cōcedat, diuitiarum etiam, ac pecuniæ præſertim affluentia multas ſuperet ciuitates, cęlo puro, ac tenui, quod ſalutares ſpiritus animantibus præbeat, longe cæteris antecellit. Quamobrem optima vtentes valetudine, diuturnamq; agentes vitam Genuenſes acu-

to, ac peracri ſunt ingenio, quæcunque tam boni, quam mali documenta facillime arripienti. Clariſsimorum itaque virorum maximus omni tempore numerus Genuę non defuit, qui ſumma doctrina, virtuteq; præditi ſummos honoris gradus ſunt adepti. Sed in militari ſtudio, nauticarumq; rerum ſcientia cunctis non iniuria nationibus præferuntur. Venetos exciperem, ni vnius Chriſtophori Columbi (vt cęteros nunc ſilentio prætercam) qui alterius, & nullis ante ſęculis cogniti terrarum orbis inuentor fuit, ac princeps, admirabilis, perilluſtriſq; gloria recentiorum, quinimo & priſcorum omnium famam prorſus obſcuraret. Sed & Genuenſium res conſideranti mihi pręcipuum ſane quoddam, & ſingulare in primis occurrit. Cum enim natura ita comparatum ſit, vt qui viribus, atque opibus maxime polleant, cęteris potiſsimum dominentur; ac propterea legamus Capuam agrorum vbertate, ac ſitus munitione inſignē Romæ ſemper inuiſam, nonnunquam terrori quoque fuiſſe; Genuam tamen videmus neque feraci, neque munito valde natura loco ſitam, omnibuſque ferè rebus victui neceſſarijs egentem, naturalium rerum ordine egregie inuerſo plurimis imperaſſe gentibus, atque hodie imperare. Cuius quidem rei cauſam ſi quis Genuenſium virtuti aſcribendam

bendam duxerit, à veritate (ni fallor) nequaquam aberrauerit. Exiſtimauere pleriq;, cum irruentibus olim in Italiam Barbaris, vniuerſa oppida, quibus præcipue vberes campi, facillimiq; paterent aditus; ſublatis eorum incolis, vſque adeo proſternerentur, vt qui ex illa quaſi eluuione, exuſtioneq; terrarum ſupereſſent, ad ardua quæquę, & aditu difficillima loca confugerent, perinde ac Venetiarum in Adriæ paludibus, Genuæ vrbem aſperrimis nixam ſaxis initium duxiſſe, atque inde ipſi nomen impoſitum; quòd vrbis forma Genu ſimilis eſſe videretur: Quos tametſi de Genuę appellatione vera dixiſſe non abnuerim, in reliquis tamen coniectura aberraſſe Liuij in primis teſtimonium coarguit, qui bello Punico ſecundo Genuam a Magone Amilcaris filio captam, & dirutam, demum a Spurio Melio prætore Senatus decreto exędificatam tradiderit: quod quingentis antea annis extitiſſe exploratum eſt. Neque vero hæc nobis ſententia prorſus reijcienda, ſed veritati magis aptanda videtur. Nam vt ea omittam; quæ de huius vrbis æque, ac plurimarum origine commemorantur, de Iano, Genuoque Italiæ regibus, ac veluti fabulæ a ſcriptoribus confictæ narrantur, forſitan quæ Barbaris aſcribuntur gentibus, Romanorum armis tribui poſſent; cum

ſcilicet reſpublica ex paruis initijs adaucta cunctos Italiæ populos vi ſubigere, atque in ſuam ditionem redigere maturaret. Conſtat enim Ligures cęteris Italiæ populis ſeruitutem peius odiſſe, ac poſteriores libertatem pertinacius defendiſſe, ac protexiſſe. Poſtea vero quam labente Imperio, atque inclinante, Italiæ ciuitates vniuerſæ ſeſe in libertatem vindicarunt; Genuenſes à principio Conſules habuere, deinde Prætores; ita vero, vt ſæpe id quoque munus exteris hominibus, diſcordiarum Genuenſium ſemina ferente inuidia, demandarint. At Ducalem dignitatem (quod imperij nomen Itali Longobardis acceptum ferunt) Simonem Buccanigram Genuæ primo inſtituiſſe; adeptumq; fuiſſe complures ſcripſere. Hanc ad noſtram vſque ætatem perdurare videmus; neque vero adeo conſtanter, quin ciuilibus ſæpe diſcordijs Genuenſes conſumpti externum ſeruitium domeſticæ libertati prætulerint. Horum ſatis amplum quondam imperium (quando concordi ciuitatis ſtatu rei militaris ſtudia vigebant) præter Cyrnum Inſulam, quam hodie Corſicam appellant, atque vniuerſam Liguriam; quamplurima Galliæ Ciſalpinæ oppida, pleraſq; etiam in mari Aegeo inſulas, atque in Syria vrbes obtinebat: (quippe bello ſacro, atque in Hieroſolyma expugnanda, Ge-

nuenſes rem Chriſtianam plurimum iuuerant; præterea Capham, olim Theodoſiam, celeberri-mum in Taurica Cherſoneſo emporium poſſi-debat. Hodie vero, quoniam priuatis opibus reſpublica extenuatur, præter Gauium, Noui-umq; & Cyrnum Inſulam Liguſticæ tantum oræ dominantur, quæ à Sergiano oppido ad fines Etruriæ olim ex ruinis Lunæ cõſtructo ad Monæ-cium vſque protenta eſt, atque millibus paſſuum circiter centum quinquaginta in longitudinem patet. Sed extra ipſius ditionis nomen ære alie-no obſtrictæ reipublicæ vix quicquam pro di-gnitate, & amplitudine Ciuitatis eſt reliqui. Nam cum finitimis olim populis bella inferrent Genuenſes, cum Venetisq; de imperij gloria de-certarent: quoniam publicæ nequaquam pecu-niæ tantis bellorum ſumptibus ſatis eſſent, ac priuatam ideo mutuam ſumpſiſſent, neque eſſent ſoluendo, Diui, vt aiunt, Georgij domum ere-xere, cui cenſus, vectigaliaq; ciuitatis fere om-nia aſsignauere ad annuos fructus creditoribus pendendos: hodieq; nomen amplius aureorum centies conficere prædicatur: nihil enim vel tan ti Genuenſibus fuit, quam gloriæ, & libertatis ſtudium. Quapropter Genuenſis ciuitas ad hãc diem neque extraneis dominis ſeruire, neque do meſticos ferre didicit: quinetiam libertati, ac ſi-

bi conſulere dedidiciſſe pœne videtur, diſſenſionum fluctibus agitata: quibus iterum, ac ſæpius merſa, atque inde emerſa ſeruitutem cum libertate, ac libertatem cum ſeruitute frequentiſsime commutauit. Habent hoc omnino Genuenſes, vt factionibus ſtudeant, nihilominus priuato cõmodo inſeruiant, communc negligant: quæ nempe malâ reſpublicas plerumq; delirare, tãdemq; occidere coegerunt. Quis enim vel ſtultus diſtractum in partes corpus, aut membra è corpore euulſa diu viuere, aut vigere poſſe exiſtimabit? Neque ab re prorſus Genuenſis viri dictum memoratur, qui glorianti Veneto ſuam quidem patriam præcipua Dei cura inuiolatam ſeruari, facete reſpondit, Genuæ quinimo vrbis Deum optimum maximum cuſtodem eſſe, ac præſidem: nam Venetos in amplificanda republica quotidie elaborare, ſæpe tamen graue detrimentum pati: At Genuenſibus in id præſertim incumbentibus, quod reipublicæ exitio ſit, cuncta feliciter euenire. Verum & hoc quoque vulgo tributum eſt olim Athenienſibus. extant Ariſtophanis verſus:

Eſt ſermo quidam ductus à maioribus,
Fatua licet ſtatuamus, & vecordia,
In melius attamen omnia nobis cedere.

Rei itaque publicæ neglectio, priuatæ flagrãs

ſtudium

ſtudium, domeſticæ inſuper diſcordiæ, præſentium ſatietas, nouarumq; rerum cupiditas (de quibus paulo poſt explicatius dicendum erit) amplam ſæpe ciuibus, nonnunquam & exteris occaſionem dedere reipublicæ occupandæ. Quod cum frequenter eueniſſe veterum monumenta teſtantur; tum memoria noſtra Ioannis ALOYSII coniuratione comprobatur: qui ex Fliſcorum genere nobiliſsimo natus vim patriæ inferre, ac libertatem eripere conatus eſt, quam eius maiores excellentiſsimi, ſanctiſsimiq; viri vna cum vniuerſa Chriſtianorum republica ſaluam ſemper eſſe voluerunt. Hæc autem tanta conſilij, calliditatis, ac fortitudinis magnitudine inſtructa, agitata perfectaq; coniuratio, vt Græcorum, vel Romanorum nulla alia cum ea conferri poſſe exiſtimetur, ſcriptorem adhuc (ſi bene aliorum noui Commentaria potius, quam ſcripta) deſiderare videtur; qui eam poſteris accuratius prodat; ac nouo, inſigniq; exemplo cõfirmet, nullum eſſe hominum genus, a quo non ſummum nobis periculum creari poſsit, ſi illud præſertim contemnatur, & negligatur. Pauci enim vtilia a noxijs ſecernimus, plures aliorum euentis docemur. Ad hæc præſtat dicta, factaue quanuis flagitioſa, ab obliuione hominum, atq; a ſilentio vindicare, vt peſsimus quiſque dede-

cus ex poſteritate in metu quoque ponendum intelligat. Verum neque vt maculam dedecoris vllam nobiliſsimæ familiæ inuram, ad ſcribendum ſum aggreſſus; ſed vt cõparatione cũ deterrimis excellentium eiuſdem virorum gloria magis extet atque eluceſcat. Quod ego an quoquo modo præſtare poſsim, experiri decreui, cum vel illud laudi aſcribatur, in magnis voluiſſe. Hæc vero diſtinctius, copioſiusq; a me, exigui quanuis ingenij homine, perſcribi tamen poſſe confido, quod cum Genuæ diutius ætatem traduxiſſem, attentiſsimo animo totius hiſtoriæ ſeriem de compluribus ſępiſsime audiui, ac memoriæ diligentiſſime commendaui, quorum quidem virorum auctoritas in primis eſt grauis, atque adeo certius hac in re teſtimonium, quod ipſi ea tempeſtate non ſolum Genuę fuerint, verumetiam omnibus fere interfuerint, ac magna idcirco pericula, quæ in primis memoriam exercent, nec temporis interuallo obliterantur, adierint. Neque vero omnia a quocunque tanquam ab oraculo edita omnino accipienda exiſtimaui: ſed ea tantummodo litteris mandanda cenſui, quæ cõplurium teſtificationibus comprobarentur, & probabilioribus confirmarentur argumentis, cũ res per ſe ſpectanda ſemper ſit, non narrantis auctoritas, quam ſi præ oculis habeas, veritatis ſtu-

dium

dium ſæpe negliges, dicentis teſtimonio hęrebis. Si quid igitur a me ita ſcriptũ fuerit, ut cũ aliorũ, vti iam dixi, Cõmẽtarijs parũ cõgruere videatur: nõ id mihi aſſumã, vt, quoniã ſic ego ſcripſerim, cęteris fidẽ abrogẽ. Nullus ſit gratiæ locus, neq; ius diſpar in pari cauſa: Verum quæ firmioribus niti rationibus, ac veritati magis conuenire appareant, cuius ſemper maxima eſt vis, ea demum approbari, & recipi poſtulo. Sed rẽ ipſam aggredior. Premebatur ea tempeſtate Germanorum Principum inuidia, atque armis Carolus Cæſar, futuræq; ſeditionis, & miſerrimi belli initia Neapoli, quod victis, & uictoribus funeſtum & calamitoſum pariter eſſet futurum, haud obſcure apparebant: quandoquidem Petrus Toletanus illius regni præfectus legem ibi ferendam cenſuerat de iJs, qui non recte de vera Chriſtianorum religione ſentire viderentur, Hiſpaniarum more inquirendis. Hanc ſanxerant Fernandus, & Iſabella reges: ea vero iubet cuicunque indici, & delatori, quanuis minime cognito, vel probato, reum quenuis eo nomine facienti quinetiam ſcedæ haud obſignatæ certam haberi fidem, atque eo modo accuſatos ſontes habendos, in carcerem compellendos, & in quæſtionem poſtulandos fore. Eo inquam in ſtatu Cæſarianæ res erant, cum præter omniũ

opinionem maximi quoque in Liguria motus
repente extiterunt: qui non ſolum Genuæ, ue-
rum etiam Placentiæ haud paulopoſt, ac totius
ferè Italiæ tranquillitatem turbauere. Nam ſi a-
cpti aduerſæ Cæſaris res ipſius fortunam depreſ-
ſerant, ita inimicorũ animos, præſertimq; Ioan-
nis Aloyſij Fliſci Cæſarianis, atque adeo patriæ
peſtem iamdiu molientis valde extulerant. Huic
pater fuit Sinibaldus maiorum ſplendore, &
gratia, ac populorum ſibi ſubiectorum numero
clarus. Gens enim Fliſca vetuſto Lauaniæ co-
mitũ titulo inſignis ampliſsimis præterea hono-
ribus, ac ſacerdotijs aucta, ſummum quoque
Pontificię dignitatis faſtigium nonnunquam im-
pleuit. Verum ad togæ ſplendorem, quo nobi-
liſsima Fliſcorum familia cæteris Genuenſium
anteferenda videtur, bellicæ inſuper laudis ſtu-
dia, atque honores maxime adiecit. Namq; vr-
bis præfecturam, qua res militaris, atque ipſius
urbis cuſtodia continebatur, ſummusq; in ci-
uitate honoris gradus habebatur, plerunq; obti-
nuit. Hunc Ioannes Aloyſius, ipſius, de quo ſu-
mus dicturi, auus, & Hieronymus patruus po-
ſtremi tenuerunt: prętereà Iacobus Fliſcus (miſ-
ſos enim facio complures huius familiæ præſtan-
tes bello duces) Ludouici regis Galliæ magi-
ſter equitum (quem illi Mareſcialum appellant)

 ac

ac Princiuales Rodulphi Cæſaris in Italia uicarius ſummo cum imperio fuere; vt magnitudine rerum geſtarum domi, forisq; gloria, & nomine illuſtris pariter haberetur. Sinibaldus autem complura in Liguriæ montibus oppida, & in ora maritima; in Ciſalpinaq; Gallia poſſedit; antiquo etiã ipſius patrimonio Pontremoli oppidum adiunxit. Verum fortuna magis, quam virtute ſpectatus deceſsit. Quo uita functo Ioannes Aloyſius decem annos natus maximus fratrum educatus eſt in matris Mariæ Rouariæ gremio, atque in ſermone mulieris immoderatæ cupiditatis, quæ tenerum pueri animum falſa, atque inani ſpe vſque adeo inflauit, vt progrediente ætate nihil non ſibi audendum cogitaret, ac pluſquam ciuilia agitaret. Erat vero ipſe natura audax, magno prauoq; præditus ingenio, generis nobilitate, ac diuitiarum faſtu nimium elatus, imperij maxime auidus, qui ſe nemine inferiorem, neminem ſibi parem ferre poſſet, magnique potius viri, quam boni nomen expetendum duceret. Quæ tamen omnia tanta fallaciæ, ſimulationis, ac diſsimulationis vi repreſſerat, ac texerat, ut lenis, remiſsiq; animi, libertatis præſertim ſtudioſi, modeſti, & comis adoleſcentis famam ſuſtineret, eamque maximis naturæ dotibus, artisq; præſidijs in

dies augeret. Nam facie decora, uenuſtis oculis, hilariq; ſemper uultu egregie honeſtabatur, formæq; dignitatem coloris bonitas tuebatur. Ea vero comitate, ac manſuetudine omnium animos conciliauerat, illexeratq; ut cuncto populo carus, plebi autem eſſet gratioſiſsimus, tum propter ea, quæ nuper commemoraui, tum propter ſummam innatam liberalitatem, quam in omnes ſtudioſius exercuerat. Nullis enim Genuæ legibus profuſi ſumptus interdicuntur, (quod in omni fere bene inſtituta ciuitate antiquitus fuit obſeruatum) aut iuuentus quo minus liceat uagari quo uelit, coercetur. Huius igitur magnum, & erectum animum adoleſcentis perſpectum habens Gulielmus Langeius regis Gallorum præfectus, cupiensq; diſcordiarum ſemina in Genuenſem tunc florentem Rempublicam ingerere, per Petrum Lucam Fliſcum diligentiſſime contendit, ut eum pecunijs, ac promiſsis oneratũ ad amplectendas, tuendasq; Gallorum partes traduceret, ad quas tametſi ſua ſponte propenſior eſſet (quippe Fliſcorum familia Gallis addicta,) nihilominus oblatas condiciones repudiauit, ne, dum aliena curare profiteretur, in rerum ſuarum diſcrimen adduceretur. Nam Genuenſium reſpublica, tum Gallis grauiter infenſa, erat Cæſari amicitia, & ſocietate coniuncta.

ćta. Langeio autem ita reſpondit, ut in opportunum magis tempus rem differre, quam aperte negare uideretur. Hominum quoque fama eſt Alphonſum Vaſtij Marchionem per id tempus Mediolanenſibus Cæſaris nomine imperantem, reperiſſe in Cęſaris Fulgoſij ſcriptis (is fuerat vna cum Antonio Rincone Gallorū regis ad Solymanum Oratore à Cæſarianis, ut rumor fuit, dum in Pado veheretur exceptus, atq; interfectus) Commentariū, quo apparebat Fliſcū Genuæ rerū nouarū auctorē futurū; quibus Principem Andreā Auriā quãuis permotū, egregium tamen Marcelli factum Holæ æmulatum, duxiſſe illuſtrem adoleſcētem beneficio potius, quam ſupplicio in fide eſſe retinendum; eiq; vt numerarentur duo aureorū millia in annos ſingulos à Cęſare impetrauiſſe. Sed hæc omnino falſa exiſtimãtur, tū quia callido Fliſci ingenio minime conuenire videantur (quid enim leuius, quam ei rem tantam, quē priuatim, & publice hoſtem habuiſſet, credere) tum quia nonnulli Hiſtoriarū ſui temporis accuratiſsimi ſcriptores alterum ex nauigijs affirmēt, quo Fulgoſij comites vna cum ſcrinijs, ſcriptiſq; uehebantur, occupatis hoſtibus, fugam ex templo cepiſſe, atque intactum euaſiſſe. Quod ſi quid de re huiuſmodi ſcriptum fuit repertū, id plane a Fulgoſio confictum iudicandum eſt, ut Fliſco

ſcilicet inimico inuidiam, ſibi uero gratiam colligeret, inter has enim familias ueteres intercedebant inimicitiæ, quoniam Hieronymum Fliſcum Ioannis Aloyſij patruum Fulgoſij interfeciſſent; patrui uero Cæſaris ipſius a Fliſcis cæſi fuiſſent, quorum alter equinæ caudæ alligatus, ac per urbem tractus humanæ miſeriæ documentum ſtatuit. Hominem itaque adoleſcentem dominandi cupidum ad rempublicam occupandam hæc potiſsimum alliciebant, & currentem, ut aiunt, incitabant, plebis, & popularium iratus patritijs animus, recensq; illata nobilitati iniuria. Ac maxime impellebant inuidia in Iannettinum Auriam, conceptumq; odium; de quibus antequam plura dicã, nonnulla de Genuenſium moribus, & republica, ipſiusq; & libertatis auctore, & uindice Andrea Auria explicare operæ pretium eſt, ne principijs rerum abditis, quæ inde ducta ſunt, quaſi tenebris circunfuſa in obſcuro latere uideantur: Cum præſertim hæc ipſa ad res Genuenſium, totiusq; Italiæ turbandas ſæpius, & componendas magnum pondus acceſſerint, ac patrum noſtrorum memoria Cæſaris iacentem prope fortunam excitarint. Maximas ubique, & ſemper inter nobilitatem, & plebem fuiſſe contentiones nemo ignorat. Hæc enim calamitas late peruadere, atque omni

bus

lius rebus publicis impendere omnino videtur. At ſi cum recẽtiorum temporum diſſenſionibus Genuenſium conferas diſſenſiones, neque diuturniores ullas, aut grauiores, neque leuioribus ſæpe de cauſis ſuſceptas fuiſſe comperies; ipſorum enim animis partibus præſertim infectis penitus affixum, atque inſitum eſt, ut mutuis ſemper odijs, nonnunquam & armis ſemetipſos, ac rempub. uexent; nullus patritijs imperij, nullus plebi libertatis ſit modus; melioribus parere (quod non iniuria Italis priſcorum uirtutis oblitis hodie uitio datur) pro ludibrio habeant. infimus autem quiſque ſummis ſe parem uiris habeat, nemini cedat, aut ullam eſſe nobilitatem Genuæ neget, aut propriam efferat, alienam deprimat. Neque alius quiſquam æque, ac Genuenſis populus, de toto ſtirpis, ac gentilitatis iure differere nouit, & perſpicue familiarũ ſucceſsiones euoluere, atque enucleare perdidicit: etſi quando poſteri uel materno genere, uel alia quauis culpa a maioribus degenerarint, notare, quinetiam exprobrare conſueuit; Vt non minus Genuenſium procax ingenium, quam peruicacẽ animum hac in re maxime liceat admirari. Ego uero cum ibi aliquando degerem, de uilioribus quamplurimis ſæpiſsime audiui; eius ſe urbis poſſeſsionem iure merito tenere, atque inde pa-

tritios exturbare, quæ ex nautarũ, uulgariumq; hominum genere initia duxiſſet; perinde ac ſi paſtoribus; & bubulcis (quamuis dicto concedas) Roma ipſa, cæterǫq; urbes, quibus forte conſtructæ fuerint, atque earum imperia, iure tribuantur potius, quam illuſtrioribus, & uirtute & prudentia præſtantioribus uiris; præſtetq; cauda præceps agi corpus, uti a Plutarcho de Draconis fabula narratur, quàm capite regi. Ceterum patritij arrogantiam plebis deſpicientes, populariumq; pertinaciam, in maximas difficultates plerunq; prolapſi ſunt; Cum præſertim populares ipſi, multitudinis licentiam irritare, patritijsq; pericula ſtruere niterentur. Nam uetuſtas pernicioſo, ac deteſtabili prorſus exemplo in morem perduxit, cuius nulla hucuſq; animaduerſio memoriã potuit obruere, ut Genuẽſes ciues nimio ocio, atque ingenijs uberrimis affluentes, in tres diuiderentur partes, atque unius eſſent, qui diuitijs, genere, & honore ceteris præſtarent, alterius uero eæ præſertim familiæ, quæ honeſtiores haberentur, poſtremi artifices omnes, ac reliqui humilioris fortunæ homines, quorum haud minor Genuæ numerus, quam audacia: cum ex ijs, qui textrinam tantum exerceant, triginta, atque eo amplius hominum millia numerentur, quibus ipſi frequen-

ter freti, à popularibusq; incitati, dum in ſuos incautius ruunt, ac rempublicam funditus trahunt, cęteris prædæ eſſe, alienisq; dominis ſeruire compelluntur. Veruntamen Genuenſibus eſt moris (quæ humani generis eſt imbecillitas) proſpera fortuna uirtutem deperdere, aduerſa recuperare. Nam ſeruitutis compedibus fractis ſe ſe in libertatem uindicare aſſueuerunt. ut quæ de luna à Sophocle ſcripta ſunt, in Genuam cadere apte uideantur.

Obſcura nunc, ſed innouatur illico,
Vultumq; ſumit, auget atq; ſplendidum,
Et cum refulget nitida lumine plurimo,
Spoliata rurſum luce tenebras induit.

Atqui patritijs aliquando exactis populares lege, & vi cauerant, ne cui ipſorum ſupremum gerere magiſtratum fas eſſet; neque vero eum quenuis ex popularibus, ſed eas tantum obtinere familias uoluerunt, quæ eſſent Gibellinæ factionis. Nam inteſtino, quod iam dictum eſt, urbis malo communis inſuper Italiæ peſtis acceſſerat, Guelphæ ſcilicet factionis, & Gibellinæ: huius gens Auria, & Spinula; illius Fliſca, & Grimalda principes extitere. Hæc deteſtanda prorſus factionum nomina priſcis temporibus ignota, noſtris formidoloſa, quarum inuentrices Germaniæ ciuitates, vim atque acerbita-

tem primo aluiſſent, ac pertuliſſent, tum primū apud Italos audita fuiſſe traduntur, cum aduerſus ſummos pontifices imperator Fridericus cognomine Aenobarbus arma ferret; atque illarū Guelphus, harum uero Gibel ſe eſſe partium aſſereret; Quibus calamitoſa veluti aliqua tempeſtate, atque adeo portentoſa infamis ſeculi rabie totius Italiæ prouinciæ, uniuerſæ vrbes, familiæ denique omnes, omni pietatis, & humanitatis iure perfracto, acerbiſsimis, indigniſsimisq; direptionibus, incendijs, & cędibus ducentis amplius annis uexatæ, vaſtatæ, miſerabiliq; tandem exitio funditus euerſæ ſunt. Hoc modo Adurnij ſimul, & Fulgoſij, qui ex popularibus familijs Gibellinum nomen præferunt, reipublicæ adminiſtrationem, atque una tyrannidem occupantes, animo, & voluntate extemplo a ſe ipſis diſsidentes diuiſa iam ciuium ſtudia rurſus diſpertiunt, remq; ferro decernunt. Victi ijdē, & uictores vrbe eijciuntur, potiuntur, plebis tamen mobilitate potius, quam ciuium ſanguine. Dum itaque alij Adurnios, alij Fulgoſios fouent, patuit extraneis aduerſus utroſque aditus. Sic Genua diu, ac multum agitata, atq; afflicta in Franciſci tandem Galliæ regis, quem acerbe, & penitus odiſſent, poteſtatem uenit; ea tamen condicione, ac pactione, ut Sauonam Genuenſi-

bus ablatam Rex illis reſtitueret, quibus tantum abſuit, ut ſtaret, ut eam quoq; urbem munire inſtitueret, inuidiam facti eo nomine deprecans quod uereretur Genuenſium animos nouarum rerum cupidos, ſibi, ac ſeruituti maxime infenſos, atque ea præſertim de cauſa, quod ſibi aditum inde in Inſubrum fines patere uellet, ſi quando Mediolanẽſium dominatum, quem ad ſe pertinere diceret, recuperare deſtinaſſet. Præterea ex ſalinis conficiendis, & portorijs imponendis, magnam pecuniæ uim ad bellicos apparatus neceſſariam cogere, Sauonamq; Liguriæ caput cõſtituere deliberabat. Quibus neque maiorem calamitatem ullam Genuenſis ciuitas capere, neque grauiori affici iniuria poterat. Ea vrbs triginta paſſuum millibus Genua diſtans præterquam quod uberem, fertilemq; habet agrum, mari alluitur, ac tutiſsimo fulcitur portu tunc natura, & arte munitiſsimo, ut non ab re prorſus conſilium illud initum uideretur; cum eo præſertim ex loco Apenninus mons ſenſim, ac leuiter aſſurgens faciliorem euntibus in Galliam Ciſalpinam, quam alibi uiam patefaciat. Atqui Rex ipſe in id, quod uerebatur, quia nimis caueret, offendit, cum ſæpe faciles rerum ſucceſſus nimia cura, & inani diligentia corrumpantur. Nam Genuenſes harum rerum nouitate

perculſi, atque eo uehementer offenſi, quod certam pecuniæ ſummam Rex ipſi imperaſſet in Sauonæ munitione erogandam, uno omnes animo, quando uis externa domeſticam concordiam pareret, Andream Auriam conueniunt, in cuius ſola uirtute, & auctoritate Reipublicæ ſalus repoſita uideretur: ne patriam labentem deſerat, precibus obſecrant. Erat tunc ipſe Andreas Regiæ claſsis præfectus uir egregie fortis, belliq;, & rerum maritimarum omnium peritiſſimus. Is patriæ caritatem omnibus præferendam ratus Reipublicæ cauſam ſuſcepit. Cum igitur ad Senatum de regio poſtulatu relatũ eſt, in primis reclamauit, neque Genuam aſsiduis bellis, ac iacturis exhauſtam, tantam Regi pecuniam curare poſſe oſtendit: Cui nullus ex regijs miniſtris tũ refragari auſus. ijdem haud tenuiſsimum deinde Regi ſcrupulum de Andreæ, & Genuenſium defectione iniecerunt. Qui eo acrius iuſsit Sauonæ munitionem ad exitum perduci: neque ea de re ſcriptis ab Andrea litteris ullum dedit reſponſum; quinimo uehementer ab eo contendit, ut Aſcanium, & Camillum Columnas, Alphonſumq; Vaſtij Marchionem, quos nauali pugna ad Capreas ceperat, Lotrechio mitteret Neapolim per id temporis obſidenti. Verũ Andrea, quoniam ex ipſius militiæ condicioni-

bus captiui ad ſe pertinerent, obſequi renuente, Rex ira percitus clam Barbeſsium claſsi præfecit, Andreamq; ut captiuum duceret imperauit. Cuius inſidias poſtquam homo ſolers præſenſit, ac facile cauendo uitauit, ſe uero, atque adeo patriam grauiſsimis a Rege affectam iniurijs animaduertit, Gallica ſe militia abdicare ſtatuit, & patriæ, ac ſibi conſulere. Ijs moniti Vaſtius, & Columnæ Andreæ perſuadent ut Cæſaris auſpicia ſequatur, quem Genuæ libertatem, ampliſsimos ipſi honores daturum pollicentur. Andreas itaque aureo torque ad Regem remiſſo equeſtris dignitatis Diui (ut aiunt) Michaelis inſigni, ſtipendioq; Regis repudiato, Cæſari ſe tandem adiunxit, tum præſertim, cum res Gallorum ſumma ubiq; felicitate gererentur. Verum incredibile eſt memoratu quibus deinde malis fractæ fuerint, quam Cæſaris amplificata fortuna, quam breui Genuenſes libertatem recuperarint, atque in poſterum diuitijs, & ocio abundarint. Nam Andreas ſuis triremibus, Gallorum claſſem fugauit, præfectum ex vrbe excedere compulit, Sauonã recuperauit, ac patria ex ſeruitute tandem aliquando ſoluta, oblatum ipſius dominatum præclariſsimo quidem continentiæ exemplo recuſauit; maximo autem omnium cõſenſu pater patriæ appellatus eſt. Neque

vero de Fulgoſijs, Adurnijsue in vrbem reuocandis cogitauit, ſed liberam eſſe Genuã, proprijsq; obedire legibus voluit, duodecim viris ad componendum reipublicæ ſtatum delectis. ij vero aſsiduo uſu docti, quoniam perſpectum haberẽt, populari dominatu nihil incõſtãtius, duriusue, q̃ modo huc, modo illuc ciuitatem rapere, ac diſtrahere conſueuiſſet, reipublicæ adminiſtrationem patritiorum tantummodo eſſe uoluerunt; Adurnios, & Fulgoſios perpetuo exulare, neue ipſorum ulla deinceps mentio fieret, edixerunt. Quod factum plebei, ac populares grauiter vſq; adeo tulerunt, vt euertendæ poſtea Reipublicæ facultatem ſibi potius, quam voluntatem deeſſe præſeferrent. Hoc igitur in urbe malum Fliſcus latenter alebat, quod e re ſua futurum (uti dudũ dixi) haud temere confidebat. Genuenſium tamen diſcordijs nedum finis, immo vero influit (vt dici ſolet) quod exhauritur. Nam pari quoque dolore, & iracundia tunc ipſa efferebatur nobilitas, quod dominandi uicíſsitudinem ſibi ereptam, atque ordinem creandi Ducis perturbatum conquererentur. Quarum rerum cognitio (quoniam perutilem, neque iniucundam futuram confido) ut pariter habeatur, enitar. Poſtquam Andreas patriam, uti proxime attigi, in libertatem uindicauit, nihil ipſi, ceteriſq; optimatibus

matibus maiori curæ, ac cordi magis fuit, quam ciuilium diſcordiarum ſemina, atque adeo ipſa factionum nomina ex omnium mentibus euellere, ac memoriam prorſus abolere. Nam ſi Genuenſes ancipiti contentione diſtractos rurſus priſtinam in concordiam reduxiſſent, Rempub. (quod maximum inter homines, & optimum eſt opus) in futurum opibus, & potentia multo firmiorem, dignitate, & gloria longe ampliorem ſe effecturos putabant. Id uero ita demum aſſequi poſſe, ſi ex tribus diuerſis ueluti Genuenſium familijs patritijs ſcilicet, popularibus, & plebeis, vnicũ quaſi corpus, quo Reſpub. regeretur, conſtituerent. Ex omnibus itaque patritiorum familijs uiginti, & octo deligunt, totam illis nobilitatem includunt, & circunſcribunt, complures inſuper tum popularium, tum ipſius deniq; plebis præſtãtiores adſcribunt, eos ad Rempub. una ſecum adminiſtrandam, contra atque ij ipſi antea feciſſent, accerſunt, ut earum familiarum cognomina, atque inſignia, quibus tum aggregarentur, adhibeant; ijsq; in poſterum utantur, edicunt: cunctos ita collectos patritios uocari, & haberi decernunt: ex eo numero magiſtratus omnes Reipub. gubernatores, ipſumque Ducem declarari ſanciunt. Sic permixtis, atque una coniunctis ciuibus modico temporis interuallo

fore putantes, vt nulla inter eos diſtinctio fieret, cunctiq; un iuiderentur, & eſſent. Huiuſmodi in alienas familias cooptationes priſcorum quidem exemplo inſtitutas uel ex Tacito (ni fallor) percipi poteſt, qui Othonem prouincialium animos largitione aggreſſum Hiſpalienſibus, atque Emeritenſibus familiarum adiectiones dono dediſſe ſcripſerit. Verum longe acrior malitiæ, quam prudentiæ mortalium eſt uis. Quam enim hæc ad ſanandum medicinam effecit, illa in perniciem facile vertit, ita ut quo arctius ſummæ coniunctionis uincula conſtringerentur, eo liberius laxarentur, ac diſrumperentur. Patritij igitur quaſi illa ſe coniunctione pollutos exiſtimarent, quæcunque ſeparatim agere, nihil cum illis communicare, eos deſpicatui plerumq; habere. At populares, plebeiq; neque meliori in patritios animo, in quos nunquam bono fuiſſent, tunc eſſe, legibus nobilitatos ſe, paresq; illuſtrioribus effectos gloriari, nullam omnino perſonarum, dignitatisue rationem de cętero habendam, ſed pari inter omnes iure agendum iactare, ſua quiſque cognomina, & inſignia retinere. In magiſtratibus uero mandandis uniuerſi ita ſe gerere, ut bipartito diſtribuerentur, animis in hac tantum diſcordia concordibus. Hac introducta conſuetudine magiſtratus omnes diuidere,

uidere, partem patritijs, quos nobiles ueteres appellabant, partem cęteris, qui noui dicebantur, mandare. Eo modo Ducem, qui biennio imperaret, uicißim creare. Cum autem Andreæ Petræ Sanctæ ex nouorum numero, uetus de more nobilis eſſet ſubrogandus, magna animorum contentione in comitijs certatum eſt, in qua ſuperiores tandem facti qui numero præſtarent, videlicet nobiles noui, id aſſecuti ſunt, ut qui pariter ſuarum eſſet partium, Dux eſſet renunciatus, euentu quidem haud laudabili magis, quam conſilio, uti poſtea compertum eſt. Hoc præ cunctis patritij animo iniquo ferebant. Nam præterquam quod illa ſe dignitate ab ijs ſpoliari uiderent, quos ipſius participes paulo ante feciſſent, illud quoq; accedebat incommodi, quod in magiſtratu mandando, aut de reo iudicando, aut lege abroganda, patritij, quia ſuffragijs inferiores, nihil ex animi ſententia gerere, nullumq; conficere negocium poſſent. Cum enim octo deligerentur gubernatores, penes quos, & Ducem ipſum ſumma erat poteſtas, quattuor ſcilicet ex veterum, quattuorq; ex nouorum nobilium ordine, vbi par diſparium ſententiarum numerus erat (vti plerunq; fiebat) quocunque Ducis ſuffragium inclinabat, ea pars ſuperior vt plurimum euadebat. Quibus nihil, quod

magis anxios, iracundosq; patritios faceret, accidere poterat. ijs itaque Fliſcus adductus dominatum veluti ægrę Reipublicæ remedium omnes paſſuros facilius exiſtimabat. Verum ipſius in Iannettinum odij id ſanè fuerat cauſæ, quod Andreas nullis ex Peretta vxore ſuſceptis liberis (huius ſummus Pontifex Innocentius fuerat auunculus) vbi Marcum Antonium Carrettum ipſius Perettæ, & Principis Finarij ex alio matrimonio filium ſibi adoptaſſet, adoleſcentē illuſtri ingenio, & genere, & probitate inſignē, eumq; Melphiæ principatu donaſſet, in reliquis deinde fortunis ipſum Iannettinum ſibi ſuceſſorem relinquere deſtinauerat. Huic Thomæ patruelis ſui filio & virtute, & conſilio præſtanti omnia tribuerat, amore ductus patrio, Adamiq; Centurionis viri primarij filiam in matrimoniū collocauerat. Atque eundem legatum ſibi delegerat, ita vt vno Andrea excepto Iannettinus exiſtimatione, atque auctoritate cęteris Genuēſibus anteiret. Quibus Fliſcus non ſecus permotus, ac ſi Iannettini dignitate grauiſsima ipſe afficeretur iniuria, eum de medio tollere, funditusq; delere decreuerat. Sed tantum flagitij abſque diuinarum, humanarumq; rerum graui perturbatione commiſſurum ſe minime cōfidebat. Præterea, quod omnium atrociſsimum execran

dum-

dumq; fuit, parricidium addere, ipſumq; patriæ patrem Principem Andreã (ita nempe Andreas Melphię Princeps ab omnibus appellabatur) interficere deliberauit, maximam iracundiæ uim in ſenem illum optimum effundẽs, quod Iannettinum, vt ipſi videbatur, vnũ delegiſſet Princeps, quem præcipue ornaret, ad ſummosq; honoris gradus efferret. Atqui Princeps excelſo animo vir, in omnesq; officioſiſſimus, ipſum quoque Fliſcum maximis affecerat beneficijs. Nam eius tutor relictus pupillum egregie tutatus, bona diligenter adminiſtrauerat, fortunasque maxime auxerat. Cùm primum verò adoleuit Fliſcus, vt in Cęſaris gratiam reciperetur, effecerat, addito inſuper honorifico, ut nuper memoraui, ſtipendio. Verùm inuido ſua nihili, aliena magni penduntur. Fliſcus ergo neque Principe incolumi ſe cum Iannettino æquare, neq; ciuitatem mutare poſſe ſperabat. Talibus itaq;, ac tam nefarijs criminibus cõceptis adſtringi ſe Fliſco minime dubitanti, neq; comparatis adhuc viribus ſatis confidenti pręter Cęſaris aduerſam fortunam pariter Fliſci inimicis aduerſam, res quoque alia accidit opportuna, Pauli, ſcilicet ſummi Pontificis quattuor triremes uendendi tunc uulgata deliberatio. Has igitur emere, ipſisque tanquam validioribus machinis inimicos, Remque publicam ſta-

tuit oppugnandam. Sed vt concepti a ſe flagitij ſuſpicionem auerteret, ipſum ante omnia Principem de ijs quaſi conſultus docendum putauit. Nam præterquam quod eum non ſecus, ac patrem iure merito vereri debuerat, penes eundem erat ſumma rerũ maritimarum, vt pote Cęſarianæ claſsis præfectum, quem Almirantem vocant. Quamobrem eum conuenit, quæ de triremibus cognouiſſet, exponit, nonnihil ſtudij in patriam, & pietatis præſefert, ocium, & deſidiam accuſat, quæ vt vitet, & Reipublicæ vſui eſſe poſsit, illas ſe emere velle indicat; vno eodemq; tempore & ad ſubſidium, & ad conſilium Principis ſe confugiſſe ſimulat, diſciplinam patriam, & communem vtilitatem oſtentat; ijs vti par erat, a Principe comprobatis, atque eo collaudato extemplo Fliſcus Romam conceſsit, triremibusq; emptis, atque ex ijs trium ſtipendio cum Pontifice pacto, dum Genuam reuertit, Pótremolumq;, olim Apuam, ſuum oppidum de via inuiſit, liberali hoſpitio à Petro Aloyſio Farneſio Placentiæ acceptus eſt, qui cum ipſius Coniurationis conſilia dicitur communicaſſe. Scio pleroſq; ea tempeſtate fuiſſe, qui aſſererent fictã venditionem illam; ſed Fliſco conceſſas idcirco triremes, vt ijs ad coniurationem perficiendam, Genuamq; a Cæſaris clientela auertendam

videretur: quæ ſicuti narrabantur, breuiter per-
ſtringam. Deceſſerat Imperialis Auria Zagonis
epiſcopus Principe bonorum omnium (quoniã
teſtamenti factionem haberet) hærede inſtituto.
quorum nihilominus poſſeſsionem arreptam,
qui ſummi Pontificis nomine ſacerdotum ſpo-
lijs præeſſet, detinebat; maximo Principis ratio-
num, ac dignitatis detrimento. Miſit propterea
ad ſummum Põtificem Princeps Hieronymum
Nobilem acrem ſane virum, ac militaribus ma-
gis, quam aulicis moribus accommodatum, quẽ
ſæpius de Principis rationibus, æqui, ac iuſti par
tibus cum ſummo Pontifice liberius diſſerẽtem
ac de iniuria conquerentem ſummus Pontifex
re infecta male acceptum dimiſit; Quod mole-
ſte ferens Princeps, ac vim ſibi illatam vi ipſa re-
pellere cupiens, Iannettinum ad triremes Ponti-
ficis capiendas, Genuamq; deducendas miſit.
Quo peracto ſummus Pontifex ſic ira exarſit, yt
Ligures quoſcunq; Romæ degentes comprehen
di iuſſerit, eorũq; bona publicari. Cæterum ab
amicis rogatus Princeps triremes reſtituit, im-
petratiſq; a Cæſare litteris ad ſummum Pontifi-
cem, eiuſq; Nuncio Neapoli commoranti cau-
ſa delegata, breuiq; cognita, ius ſuum obtinuit.
Qua de re ſummum Pontificem Principi (yt
aiunt) ſuccenſentem, Gallicisq; rebus per id tem

poris fauentem, triremes ad Rempublicam, Prin cipemq; opprimendum tradidiſſe iactitabant. Hæc vtrum vera, an potius ab ipſo Fliſco, vel ipſius amicis ſtudioſe cōficta fuerint, affirmare minime auſim, rem in medio relinquam. Illud tamen certum eſt Fliſcum ab oratore Gallorum regis pariter, & à Cardinali Triultio præmijs, ac pollicitationibus tentatum, vt Gallicæ factionis ſtudia excitare, Genuamq; à Cæſaris amicitia auertere conaretur, ipſum vero rem in aliud tem pus diſtuliſſe, ſe maturius deliberaturum reſpondiſſe. Cum igitur Genuæ eſſet Fliſcus, vſitato more Principem adortus priſcæ fidei uirum, qui hoſtes virtute ſuperare, non autem amicos dolis fallere didiciſſet, oſtendit ſe Pontificis triremes quattuor emiſſe, Centumcellis in hibernis collocaſſe; quoniam verò tribus tantum earum ſummus Pontifex ſtipēdium decreuiſſet, & illud quidem modicum, quartam inſtruere ad piraticam faciendam deliberaſſe, vt vnius periculo, & labore ſumptus cęteris ſuppeditaret, ſibiq; onus quaſi ſuſtentandæ claſsis alleuaret. Hæc autem fingebat Fliſcus, vt illa opportunitate ſibi facultas daretur cogendi, atque in vrbem inferendi milites, quibus opus eſſe intelligebat ad eam, quam patriæ, & inimicis machinaretur perniciem. Verum quia in ſuſcipiendis Gallorum partibus ma

gna

gna ſibi præmia proponi, ſuas cupiditates exple-ri, odiaq; ſatiari poſſe ſperabat, ad eas idcirco propenſior, ubi ſe in interiorem ædium partem abdidiſſet, paucis ex amicorum numero adhibi-tis & conſilio, & fide præſtantioribus, atque in-tima ſibi familiaritate coniunctis, quas Galli cō-diciones ſibi obtuliſſent, enunciat, ſe acceptu-rum demonſtrat: quale ſit eorum iudicium ex-quirit. At cum repudiandas videri reſpondiſ-ſent, quippe qui cauſam illius conſilij veriorem ignoraſſent, omnia, quæ de coniuratione iamdiu mente agitaret, vti conſtituerat, eis aperire ſta-tuit. Erant ij numero tres, vnuſquiſque Fliſci longe ſtudioſiſsimus, vnus Raphael Saccus iuriſ-conſultus non vulgaris, quem præfecerat Fliſcus populis ſub ſua ditione conſtitutis, alter Ioannes Baptiſta Verina mire audax, & callidus, nimis alta ſemper affectans: tertius Vincentius Calca-gnus Fliſci cubicularius, eo nempe ingenio, vt virtutes, & vitia æque coleret, talis vero eſſet, vti de Mercurio dicitur, qualis is, cui adhæreret. Erat & ipſe Verina cum magnæ apud populares auctoritatis, & gratiæ, tum maxime patritijs in-uiſus pariter, atque infenſus: hos perſequēdi, at-que ulciſcendi facultatem ſibi dari incredibili cupiditate ferebatur. Fliſcus itaque apud eos Principem, & Iannettinum grauiſsime accuſans,

alterum auaritiæ, alterum ſuperbiæ inſimulans; præcipua præpotentium uitia, atque ideo neque a fide abhorrentia; utrunque ſuas præſertim fortunas ferro, atque inſidijs appetere affirmat; quod ne accidat, ſibi eſſe præcauẽdum; eos propterea una cum Adamo Centurione, cęteriſque omnibus, qui cęptis ſuis obſiſtant, interficere decreuiſſe; Principis triremes, & populi, & plurimorum auxilio clientum, quos piraticæ exercendæ oſtentatione cogeret, patriamq; occupare uelle, ac ſub Gallorum poteſtatem redigere; quorum opibus, & potentia quoniam ipſe ad tantam imperij molem ſuſtinendam infirmior eſſet, niti cogeretur. apud Regem ſe principem auctoritatis, & gratiæ gradum habiturum, conſilium, eorumq; operam idcirco exquirere: ut ſibi adeſſe uellent, plurimum rogare. Cui primo Saccus in hanc ſententiam fertur reſpondiſſe.

Si fidem, beneuolentiamq; meam ullo unquã tempore perſpectam tibi eſſe uolui, idq; ut aſſequerer, diutius elaboraui, nunc & aſſecutum id eſſe me, & idcirco mihi aut lætandum, aut perpetuo dolendum video. Lætabor equidem ſi, uti me conſiliarium haud imperitiſsimum iudicaſſe uideris, ita conſilium meum fidele, amantiſsimumq; ſtatueris comprobandum. amicis enim fidere iucundiſsimum, eorum ſequi ſententiam

vtiliſsimum

utiliſsimum eſt. Dolebo autem, ſi, quod vereor perniciosum aſſentatorem, qui ſe ad uoluntatem nutumq; tuum conuertat, abs te potius, quam firmum amicum utilia quidem, & honorifica, at minime forte iucunda reſpondentem quęri cognouero. Nam, ut libere quod ſentio eloquar, de eo, quod iam tibi deliberatum & conſtitutum eſt, ne conſulas timeo. Quòd ſi tibi, rebusq; tuis proſpiciam, collectam iandiu gratiã effundere, ſin minus, te ipſum perdere, tuaque omnia peſſum me dare perſpicio. Verum ego non tam ut placeam, quam ut te potiſsimum iuuem, ab amore noſtro non ſum arbitratus alienum. Sæpius enim didici acerbiora uulneribus remedia magis eſſe ſalutaria. Quis, obſecro, iuris, ac iuſtitiæ imperitus adeo, & contemptor eſt, qui ſicarios, & parricidas ne dum ferendos, uerum etiam laudandos exiſtimet? At ego legũ interpres, earundem abs te miniſter delectus, aut eos eſſe laudandos cenſeam, aut ego laudem? clariſsimumq; adoleſcentem nefario ſcelere diuina, humanaque iura polluere, me præſertim uel ſuaſore, uel approbatore, uelim? Quod ſi mortalium omnium iudicia contemnis, nunquid & Dei optimi maximi iudicium non extimeſcis, qui facinorum, ſcelerumq; certiſsimus ultor, & uindex eſt? Verum Principis (inquis) cupidi-

tas, & Iannettini ſuperbia me ad tam atrox facinus impellunt. Igitur Principem ipſum auaritię inſimulas? cuius cęteræ uirtutes tametſi mortale faſtigium excellere uideantur, nulli tamen earum liberalitas, & magnificentia concedit. De Iannettini uero ſuperbia nouum hoc quoq; & inauditum, ſed ſi id ita eſſe concedam, abs te ſimul quæram, ipſi ne, an tibi, quam prædicas ſuperbiam, noceat? ſi ipſi, ut ſuo plectatur uitio permitte, ſin tibi, at quæſo in quo nam læſus ab eo fueris demonſtra. Cur de eo, quod facturus ſit, non de eo quod fecerit, expoſtulas? Iuſtis profecto cauſis minime indicatis iniuſtas, ac nefarias tueri uelle cupiditates, inferentis uim, nõ autem repellentis certiſsima ſunt argumenta; ſi quidem argumentis, non tuo potius teſtimonio pro cauſæ ueritate utendum eſt. Nam ſi te interrogauero (hic enim latet anguis) quid nam ſit cauſæ cur Iannettinum de medio tollas? Principem ſcilicet inquies honoribus illum, ac diuitijs profuſius auxiſſe: atqui hoc ipſo iudicio te ipſum, qui in eadem es naui, capitis condemnabis. Quid igitur clariſsimos viros in crimen, & inuidiam vocas? quin potius eos imitaris, quam inuideas? De patria vero opprimenda, exterisq; tradẽda quid dicam? Horreſco equidẽ, dum tãti flagitij ſpecies animo obuerſatur. Quid magis dif

ficile

ficile, horrendumue, aut magis nefandū? pauci ad tantum facinus aggrediēdū minus idonei, multi ad prodendum, quam ad perpetrandum erunt aptiores. At populo confidis. id arbitror te fingere animo: ſed quam longe aberras? An putas Genuenſes, qui imperium ſæpe mandare, ſæpius eripere ſolent, vt apud alios dominatus præmia, apud ipſos ſeruitij neceſsitas ſit, libenter eſſe laturos? falſam autem de Gallis ſpem habes. Eos etenim Italis natura aduerſos, caſu quoque Genuenſibus magis infenſos eſſe non tam omnibus perſpicuum eſt, quam inflicta ſibi vuulnera Genuenſium calamitatibus vt potiſsimum curent, ſtudere. aut enim te ab ijs proditum ſero cognoſces, ſi forte coniurationes molientibus Italis fatale ſit Gallorum indicio patefieri, aut ipſis dominatum, tibi ſeruitutem ſtruxiſſe comperies. Equidem euentus in ambiguo eſt, certa vbique funera, & luctus occurrunt. Verum eſto: fuerint ex ſententia confecta omnia: Nonne auorum tuorum imagines, qui patriam vnice dilexerunt, te a tanto ſcelere etiam mutæ reuocare poſſunt? ſponte igitur tam magna peccabis, vt tibi viuo ſempiternum dedecus, mortuo perpetuos cruciatus irrogare velis? Quare a te peto, omnique ſtudio contendo, vt deteſtanda hæc abs te longe depellas: quod rectum, honeſtumq; ſit in

omni fortuna retinendum ſtatuas. Iuſtitiæ, ac virtutis ſtudium, quibus ad honores, veramq; gloriam comparandam nihil præſtantius, me au ctore, & doctore, reuoca. Ego quidem te amare, tamq; vehementer complecti fateor, vt omnia tua cauſa velle, ac facturum eſſe profitear, hac tamen vna in re vt conſilio potius, quam ope ra mea utaris, non ſolum moneo, atque hortor, verum etiam obſecro, atque obteſtor.

Poſtquam Saccus dicendi finem fecit, Verina ſic locutus dicitur: Exiſtimaueram ego Fliſce oris decore, ingenijque præſtantia tui adductus, te ex Fliſcorum ſtirpe, quæ viros omni tempore ampliſsimos habuit, ſine dubio profectum, quorum egregia facinora clariſsimis teſta ta monumentis te ad ſummę laudis ſtudium ſatis excitarent: Cùm vero quæ abs te dicta ſunt, ani mo colligo, non mediocriter implicatus hæreo, illud ante omnia admiratus, vt qui ſocium ferre non poſsis, dominum te pati poſſe confidas: Neque tamen negarem cogitata omnino tua nō nullum priſtinæ virtutis ſpecimen retinere. Nā in Iannettini, Principiſque, & aliorum paritiorum cęde tè magno, ac forti animo eſſe, æmulationem, & ſimultatem cauſari vnumquemq; poſſe, facile exiſtimo. Sed cum patriam, teq; ipſum exteris ſeruire nationibus compuleris, quibus

vnquam

vnquam rationibus conceptam turpitudinis notam delere poſſe ſperabis? quam tamen ſi ſubire non dubitabis, vere tibi auguror populum ſeruile jugum è ceruicibus repulſurum, artificem (quod Deus omen auertat) interempturum. aut enim nullum cuiusquam imperium perpeſſuros Genuēſes, aut vnius, quem præcipue dilexerint, coluerint, æquo animo laturos perſpicio. Quamobrem vel ab hoc facinore manus, animumq; abſtine, vel potius, imperium vt tibi ipſi decernas, adhibe. Nempe ſummorum virorum hæc præcipua eſt laus, ad altiſsima, & maxime glorioſa contendere, inania, aut mediocria contemnere. At ſufficere tibi opes ad principatum tutandum negas. Vereor ne hæc prudētiæ ſpecies, quæ acutius proſpicere videatur, cæco potius timori aſcribenda ſit. an ignoras imperia haud ſecus, atque obtineantur, ſeruari? ſi adipiſci audebis, adeptum conſeruare timebis? multa profecto experiundo fiunt, quæ ſegnibus ardua videantur. nempe præſidium ab audacia mutuandum. Quæ vero Saccus diſcriminum ignominiæque plena finxit, vt poetam audire mihi viderer, ab eius diſciplina nequaquam abhorrere intelligo, quæ uerbis, non factis ſibi, ac ceteris cauere, cautionemq; in timiditatem facile vertere conſueuit. Quid enim habet legum

peritia cum gloria militari commune? Ego uero magnis de rebus, quæ non lingua, ſed manu prõptum expetant, diſſerentem ſic munere ſuo rećte fungi arbitror, ſi neque audacia temere impelli, neque metu falſo ſe premi patiatur; ſed proprijs cum alienis uiribus collatis, ac diligenter excuſsis, quæ uiro digna ſint, deliberãda cenſeat. Hæc uero qualia ſunt ſi adhuc ipſe non uides, neque ego nunc cæcum duco. hoc tantum affirmo, nullo fere præſidio firmatam ciuitatẽ, ciues, inimicoſque incautos, & inermes alia omnia cogitare, quam aliquod ſibi periculum ab egregio adoleſcente impendere. Quis autem omne decus, & dedecus, quæ Saccus tantopere efferebat, pro uniuſcuiuſque ingenio definiri, & conſilia euentis ponderari negabit? quod nobis fauſtum, ac felix euenit, id utiq; decorum, & glorioſum, ſi quid durius contigerit, turpe illud, & ignominioſum. Ita quibus dominatum occupantibus res bene proceſsit, illos quidem, (finitimi tibi exemplo ſint) ſuſpicimus, atque admiramur, quibus male, criminamur, & execramur. Sicitaq; regnum Romani appetentes, patriæ hoſtes iudicati, parto regno in deorum numerum relati ſunt. Fortuna ergo, non factum inculpa eſt. Hæc audaces, forteſq; uiros nunquam deſeruit: ne te ipſum deſerat tua cautio eſt.

Si

Si ergo me audies Fliſce, quos reges dominos fer re non recuſaſti, ij te amicum, ac ſocium habe- re non recuſabunt; quinetiam vltro inuitabunt: patritiorum vero ſuperbiam, & contumaciam retundes; omnia denique pro tua prudentia, ac voluntate moderabis, conficiesq;. Te itaq; ob- ſecro Fliſce, tute colligas, virumq; præbeas, atq; illam præſtes animi magnitudinem, cuius certiſ- ſima ſæpius argumenta attuliſti. Tu me ſocio, & adiutore forſitan non inutili, fido quidem, & be- neuolo, vti ne dubita. Hoc tibi poſtremo cogi- tandum relinquo maiorum ſuorum tueri fortu- nas obſcuri hominis; augere dignitatem, atque amplificare, præclariſsimā eſſe laudem; mortem denique omnibus ex natura æqualem, obliuio- ne tantum apud poſteros, vel gloria diſtingui. Vbi hæc Verina dixit, potiorem inquit Calca- gnus ſeſe exiſtimaturum ſententiam, quam Fli- ſcus probaſſet. Verum illud euenit, quod tri- tum eſt:

Monitis malis præſto eſt obedientia.

Nam Fliſcus Verinæ opinioni, quæ a ſua pa- rum diſcreparet, ad gloriamq; maxime niti vide retur, facile adhæſit. Eadem quoque Sacco per- ſuadere conatur; id facillimum factu, ſibiq; in primis magnificum, & glorioſum oſtendit. Non ne perſpiceret vrbem omni pœne præſidio nuda

tam, quod ducentorum tantummodo militum eſſet, idq; ex ſubiectis, & ſibi deuinctis hominibus magna ex parte comparatum? multos vero ex nobilitate viros partim tędio præſentium, ac dolore, partim ob ſummā erga ſe beneuolētiam ſibi præſto futuros, adhuc plane non deſperare? Plebem, & populares quis defuturos crederet? cum omnes familiæ, ac nomini ſuo addicti, nihil vehementius expeterēt, quam vt Reipublicę ſtatum conuellerent, qualemcūque conſtituerent: magnam prꝛterea militum manum ex ſubiectis ditioni ſuæ populis collecturum, ac ſtrenua eorū opera ad res magnas conficiendas vſurum. Verū caput eſſe, claſſem bene magnam nullo prorſus negocio occupaturum, qua optime inſtructa inimicorum vel copias delere, amicorū augere, hæſitantiumque animos confirmare poſſe. Ad hęc Ioannem Aloyſium Farneſium ſibi auxilia pollicitum, cum opus fuerit, miſſurum: Gallos denique ſibi opem allaturos compertum habere, iam iamq; in armis eſſe. Quare ne committeret, vt quam de ipſius beneuolentia, & virtute opinionem habuiſſet, falleret; neue pulcherrimum facinus ſua tantum culpa a cunctis deſeri patiatur: tanti beneficij memorem ſe, & gratum perpetuo futurum. Saccus itaque tametſi diutius contradiceret, acriterq; reſiſteret, dat tamen manus,

nus, vinciq; ſe tandem patitur. Remiſerat (vti plerique tradidere) paulo ante Fliſcus Nicolaũ Foderatum ſuum affinem ad Cardinalem Triultium cum litteris, quibus Triultio, id mirum in modum petente, ſuam Gallis operam pollicebatur, Genuamq; ſub Regis imperium breui ſubiuncturum; tunc vero mutata ob Verinæ orationem ſententia illum dicitur ex itinere reuocaſſe, rem ſibi accuratius examinandam, vti aliàs ſæpe dixiſſet, reſpondiſſe: antiquum Fliſcæ familiæ ſtudium, ſuamq; Regi fidem in tempore probaturum. Primo itaq; coniurati inter ſe conſtituunt nihil ad tantam rem perficiendam celeritate vtilius, cunctatione nihil eſſe pernicioſius; veritati mora: falſis feſtinatione maxime proſpici. Deinde inter ſe diſſerentibus, quibus nam vijs eo, quo tenderent, citius poſſet perueniri, multæ iactabantur difficultates. Nam vbi cædis initium facturi, Principemq;, & Iannettinum eſſent interfecturi, plane neſciebant. Si enim intra ipſius Principis domum, quæ regio pæne apparatu, & ſumptu extructa erat propter ciuitatem ſita; præterquam quod admodum difficile, ac parum id tutum videbatur, luci palam committendum intelligunt; quoniam nocte, quæ ipſis opportunior eſſet, vrbis portas claudi, aditusq; præcludi non ignorant. Si vero alibi, neque vbi, aut

quando negotium conficiant, compertum habent. At Verina hos ſermones præcidit, facillima omnia aſſerit, ſi animi, ingenijq; vires non deſint. memorat tunc Iannettini ſororem Iulio Maſſæ Marchioni, qui Fliſcum affinitate maxime attingeret, nupſiſſe, lætitiæ, ac beneuolentiæ ſimulatione ſponſis conuiuium paret; Andream, Iannettinum, ac reliquos ad illud adhibeat; atq; eo ad noctem vſq; perducto cunctisq; inter epulas obtrūcatis tum Fliſcus armatorum gregibus ſtipatus, atque amicorum per vrbem armatus diſcurrat, populum ad arma conuocet; vrbis portas, prætorium, triremes capiat, atque expugnet; Verinaq; ipſe diadema ei imponat, Ducē ſalutet, reſiſtentes quoſcunque interimat. Vel ſi magis lubet, poſſe inimicos ad ſacra ſolemnia in Diui Andreæ ædem aduocari, ibiq; omnes facile trucidari, ac deinde cętera quo ſupradictum eſt, modo exequi. Reſpondenti autem Fliſco Principem foris cibum nūquam capere ſolitum, atque alium quemlibet ad ſacra, vti conſueuerat, cum munere miſſurum, Verina ſubijcit id nullius eſſe momenti: ſe tunc armatis ſeptum, inermem, ac ſenem domi aggreſſurum, facillime interempturum. Verinæ itaque de conuiuio aſſenſi ſunt. Nam tantum facinus in Diui Andreæ templo admittere nimis impium Fliſco inprimis

rum itaque conſpectum, & animi Hencianorum labare, & Bononienſes acrius pugnare cęperunt; ita magna rerum commutatio eſt repente facta; quod pericula quanto magis inopinata, tanto maiora accidunt. nec mora. Bononienſes ipſi perculſos adoriuntur; ibique tandem initium fugæ factum. Quippe paratum Mutinæ perfugium, complurium ſaluti profuit, omnium vero mirifice obfuit; nam quanto plus ad effugium ſpei, tanto minor erat ad reſiſtendum animus. adhuc tamen qui in prima Mutinenſium acie dimicabant, pugnam ſuſtinere; clamore autem poſt terga iterum, ac ſæpius audito, & quid nam eſſet perſpecto; quoniam ſuum periculum in aliena poſitum virtute viderent, primo & ipſis quoque animi, mox uires deficere, ac de fuga potius, quam de pugna cogitare cæperunt. tum Bononiēſes redintegratis viribus; quod plerunque accidit in magna ſpe victorię; cedentibus acriter incumbunt, atque hoſtes vndiq; circunuentos cędunt, ac fugant; multos idem metus, qui fugere cogebat, fugientes morari, atque inſequentibus prodere; alios arma, quæ ad tutelam corporis paulo ante ſumpſerant, vt abijcerent, cogere; Germanorum tamen fortiſſimi, ac Mutinenſium, quibus fama potior, quam ſalus fuit, pugnantes interficiuntur, complures capiun-

F 2 tur;

tur;inter quos & Boſius Douaria Cremonenſium princeps. In eo rerum diſcrimine Hencius regię maieſtatis oblitus, dũ huc, atque illuc fertur, acrẽ inclinatam, manu, & viribus potius, quam conſilio, atque imperio; quibus nullus iam relinquebatur locus; reparare conatur, vel ſaltem fugæ dedecus cum honeſta morte commutare, equo (vt fertur) a Bononienſium Duce interfecto, fortiter pugnans, cum ducentis ſuorum capitur. Imperatore capto, metuque pudorem vincente; iam non amplius pugna, ſed cædes erat; eorum, qui ſe ex conflictu eripuerunt, alij citato curſu ſeſe in continentes ſyluas coniecerunt; alij Mutinam, qua breuiſſimum patebat iter, alij alio petierunt, nocte fugã, ac fugæ notam tegente. At Vido Seſſius, Regienſium princeps, dum ex hoſtium manibus aufugit, & per noctem incaute equum impellit, in cloacã præcipitatur, atque ibi extinguitur: in eo tumultu Gerardus Pius, & Thomaſinus Gorzanus equites Mutinenſium illuſtres comprehenduntur: maxima inſuper tum Mutinenſium, ac Sociorum, tum Germanorum turba capta; hos octo millium numerum confeciſſe, quatuor millia Mutinam confugiſſe tradunt: reliquos aut interfectos, aut in montibus, ac ſyluis diſſipatos. Multa iam nocte, Bononienſes paucis ſuorum amiſsis, com-

pluribus quidem ſaucijs, ab inſequendis hoſtibus reuertuntur, ac præclariſſima parta victoria, hoſtium impedimentis, ac multa præda potiuntur. Pugnatum eſt nono Kalendas Septembris, quo die Diui Bartholomęi feſtum celebratur, anno quadrageſimo nono ſupra milleſimum, ac ducenteſimum humanæ ſalutis. At Mutinæ vbi allatum eſt, fugatum exercitum, ſocios, ac ciues vel captos, vel interemptos, neque Henciũ regem ipſum ex tanta clade ſuperfuiſſe, perpaucos incolumes euaſiſſe; labente ſemper in peius ſama; tantus terror urbem inuaſit, vt tum eam capi ab hoſtibus, ac funditus euerti crederes. verum & ea quoque aucta, cum priuatæ per domos clades vulgatæ ſunt; quarum vix vlla expers fuit; ſtrenuum quenque interfectum, iuuentutem deletã. multitudo igitur; quoniam aduerſæ res etiam humillimis licentiam faciunt; atque in maximo metu, vulgi rumor, æque, ac prudentum conſilia audiuntur; clamare, concidiſſe Rempublicam, dedendam hoſtibus vrbem, ſubeundum tandem ſeruitutis iugum. Friderico Imperatore cuncta fere Italia expulſo, Hencio Rege in vincula coniecto, ad quem confugerent? a quo opem implorarent? Atqui Mutinenſium præſtantiores ſeuerè vulgus increpare; Fieri ipſorum ignauia, vt Reſ-

publica

publica ab omnibus deſeratur, patriaque hoſtibus prodatur; graue profecto vulnus acceptum, cuncti tamen præ formidine grauiora videri; cur animis tam repente caderent, ac temere de rebus ſuis deſperarent? ſatis adhuc virium, modo conſilij ſatis eſſet, ſupereſſe: mærorem itaque minuerent, animos colligerent, ac ſe ad imperata pro communi ſalute præpararent. Quod ſi vrbis triſtis forte ille caſus appropinquaret, cum ijs eſſe bellum meminiſſent, qui in ſupplices proniores, quam in hoſtes duriores eſſe conſueuiſſent.

Prima luce Antonius Lambertacius Bononiam profectus, quæ geſta eſſent, in conſilio exponit, quid in futurum fieri oporteret, exquirit.

Reſponſum eſt, captiuos aſſeruandos, bellum aduerſus Mutinenſes proſequendum: At quoniam Regienſes, maximis licet a Bononienſibus affecti beneficijs, Mutinenſibus tamen auxilio fuiſſent, ante omnia in eorum agrum excurrerent, mox Mutinam expugnandam curarent. Captiuis igitur in caſtro Franco collocatis, vnaque Hencio Rege, ac depopulatis Regienſium finibus, Mutinam reuertuntur; primum vero, ſi primo impetu expugnari poſſet, experiuntur, atque omnia tentant: vbi id parum proceſſit, obſidione, ac munitionibus vrbem præmere, vi pariter, ac fame expu-

mini prorſus aperiunt. At militibus vrbani pręſidij Fliſcus ipſe iampridem non ingratus, vt in dies gratior eſſet, effecerat; notos quippe, & ignotos, ſuæq; ditioni ſubiectos auctoritate, blā-ditijs, & largitione allicere, capere, & deuinctos tenere; Neque id quidem palam, ſed ex inſidijs, ac veluti cuniculis vnumquenq; aggredi, ita, vt quæ prompta, & aperta eſſent ingenui adoleſcentis lenitatem, & probitatem quandam præſeferre viderentur, a nemine improbarentur. mirabili itaque calliditate tota res peragitur, ſumma rei inaudita taciturnitate ſupprimitur. Erat ea tempeſtate pręfectus Cæſaris in Ciſalpina Gallia Fernandus Gonzaga inter Duces eminentibus titulis claros, ſingulari prudentia, atque illuſtribus bello factis præclariſsimus. Ad hunc cum eſſet allatum multos quotidie ex montibus Ligurum homines Genuam confluere, veritus vir ſapiens, & callidus, ne quid forte ea in vrbe propterea tentaretur, quod Italiæ pacem turbaret, litteras ad Ioannē Figueroam aſsiduum ibi Cæſaris oratorem mittit, ipſumq; commonefacit ſe ex multorum litteris, & ſermone factum eſſe certiorem in Ligurum, atque Inſubrum finibus Genuenſes ad arma vocare, milites cogere, ipſosq; in vrbem raptim immittere; cuius rei cauſa quo ipſi obſcurior eſſe videretur, eo vehementius moue-

retur, ac perturbaretur; ab eo propterea petere, vt ſollicitudinem alleuaret ſuam, omniaq; ad ſeipſum perſpecta, & explorata perſcriberet, ac paci, & ocio diligenter conſuleret. Atqui Figueroa, cui iam perſpectum eſſet Fliſcum triremem armare, ac manum ideo militum cōparare, nihil vltra requirēdum ratus, eadem Gonzagæ poſtea reſcripſit. Biduo autem poſt, cum exequendi conſilij nox ipſa inſtaret, ecce eidem a Gonzaga recentiores afferuntur litteræ, quibus erat ſcriptum, ſe iam exploratum habere Fliſcum quēdam res nouas Genuæ moliri; monere ideo, atque hortari vt Principē quamprimum adeat, litteras ei oſtendat, denīq; vna operam, ne quid Genuenſis reſpublica, quæ in Cæſaris tutella eſſet, detrimenti caperet. Alebat bello, paceq; Gonzaga ipſe; inuicto animi robore Scipioni, aſtutijs porrò, ac Punicis artibus Annibali rectiſſime conferendus; magnum ſpeculatorum numerum, qui hoſtium ſæpe caſtra, nonnunquam & aulas per cauſam ingreſsi, procerum dicta, factaue accutiſsime odorarentur, ac diligenter exquirerent, & ad ipſum deferrent. Hæc autem ab ipſa Gallorum regia Gonzagam tunc fuiſſe expiſcatum traditur; quæ tameſi Figueroa penitus falſa exiſtimauit, tamen Principem iam ſenio prope confectum, ac tum podagræ quoque

doloribus

doloribus cruciatum adire non diſtulit, Gonzagæq; litteras ei oſtendere. Vtriſq; haud dubiũ fuit, quin ea nota, quæ Fliſcæ familię inureretur, Ioannes Aloyſius notaretur: in illum tamen huiuſmodi ſuſpicionem cadere nequaquam poſſe videbatur multis de cauſis: cumq; præſertim Fliſci mores a tãti ſceleris atrocitate longiſsime viderentur eſſe diſiuncti, minime eſſe credendum tam generoſo adoleſcenti veniſſe in mentem rẽ omnium maxime deteſtabilem: neq; tam amẽtem exiſtimandum, vt omnia ſua oppida, facultates omnes, quæ ſub Cæſaris imperio eſſent, vitam denique ipſam inaniter profundere, ac perdere non dubitaret: cum præterea maximis a Principe beneficijs affectum, à Cæſare nonnulla accepiſſe, ac maiora in dies ſperare: Gõzagam falſa veri ſpecie commotum, ac deceptum; abſentes quippe vanis rumoribus; præſentes veritate maxime niti. Vix dum ipſi inter ſe ea locuti fuerant, cum Fliſcus, vti conſueuerat, ſalutandi Principem, ac viſendi cauſa dicitur aduenïſſe; & in aurem inſuſurrans Princeps de Figueroa quæ ſuiſſe, an illa ſponſæ elegantioris ſpecies, tanti ſibi facinoris conſcientiam præſeferre videretur? Itaq; præclariſsimi viri, & (quod in primis mirãdum ſit) diuturno multarum, ac magnarum rerum vſu docti, vt de Fliſco male ſentiant, nullo

modo adduci poſſunt. Nihil enim apud mortales æque inſidioſum, & fallax, atque occultum, & domeſticũ malum: opprimit profecto antequã vel proſpicere, vel ſuſpicione id aſſequi poſsis. Fliſcus vero præſenti vſque adeo animo cum ipſis bene longum ſermonem, ac præclare inter ſe cohærentem inſtituit, vt vix illi fortiſsimo, ſapiẽtiſsimoq; viro concedas, tanto in periculo tantam animi trãquillitatem, & firmitudinem adeſſe poſſe. diſcedens Iannettinum quoque amanter, ac fraterne alloquutus eſt. Ad hæc Ioannẽ Andream, & Paganum paruulos Iannettini filios in vlnis tenuit, ac ſæpius eſt ſuauiatus. Cum itaque ſe domum recepiſſet, omnia, vti iuſſerat, impigre inſtructa comperit. Hieronymus, & Ottobonus Fliſci fratres gemini fuere, iiſdem nati parentibus, quibus Ioannes Aloyſius: Cornelius autem quanuis nõ iuſto matrimonio procreatus, cunctis tamen æque carus fuit propter ſummum hominis ingenium. Hos Fliſcus ad ſe vocari iuſsit, remotisq; arbitris fraterne alloquitur, virtutem eorum, ac perſpectam erga ſe beneuolentiam laudat, atque effert, ea ſibi pericula ab inimicis inſtare dicit, vti iis liberari, præterquam illorum maximo exitio, ac fratrum virtute, atque auxilio, non poſsit. cętera deinde, quæ nonnunquam obſcure indicaſſet, perſequitur,

atque

atque aperte explicat, vt ſibi ad conſilium ſuum exequendum præſto ſint, obſecrat, modum deſcribit. Interea ex compoſito Verina nonnullos manu promptos ad cœnam Fliſci domum inuitauerat; atque eos præſertim, quorum ſummam in Fliſcum beneuolētiam eſſe, quoſque auctoritate apud populum pollere cognouerat: aderat & militum numerus, præteritis diebus, vti ſupra memoraui, clam ibi collectus. Hoc Fliſco fuit facillimum factu; nam eius domus propius aberat ab Vrbis porta, quæ Arcus dicitur, in Carignani colle, vbi Violatum nũcupatur, poſita, loco quidem amœno, ac ſalubri, ſed minus frequenti, atque extra patritios ſatis longo interuallo, præter Genuenſium conſuetudinem, ſeparato. Aeque enim, ac Genuæ, obſeruatum nuſquam alibi reperies, certas Vrbis regiones patritijs ſeorſum a plebe, ac popularibus aſsignari, atque ita diſtribui, vt raro patritius vir in ijs habitet locis, quæ a plebe præſertim incolantur. Iam colloquio cum fratribus inito Fliſcus finem fecerat; eorumq; animos maxime excitauerat, atque inflammauerat, cum ad cœnam inuitati cœperant conuenire. Erant ij omnes e veſtigio in cœnaculum immiſsi, cujus fores cuſtodijs ſeptæ tenebantur, atque ita claudebantur, vt introeuntibus, non autem exeuntibus, paterent. Ingreſsi

locum ſane amplum inueniebant, modica luce tenebras diſcutiente, menſas nullo prorſus cibo, maximo autem armorum apparatu inſtructas. Hæc cum ſinguli intuerentur, atque admirarentur, quorſum ea eſſent euaſura, nemo aſſequebatur, aut poterat cogitatione percipere. Eodem fere tempore Gigantes Corſus tribunus cohortis prætoriæ, cum milites de more recenſeret, complures vero abeſſe, & ad Fliſcum commeaſſe comperiſſet, rei nouitate perculſus, id primo ad gubernatores Reipublicæ detulit, deinde ad Adamum Centurionem Iannettini ſocerum; hic autem Iannettinum ipſum extemplo commonefecit; qui Fliſci triremem ea nocte ſoluere de portu ſciens, ac multos prætoriæ cohortis milites in Fliſcorum eſſe ditione, id obſequij gratia in liberalem, ac munificum adoleſcentem factũ exiſtimans, & nihil ideo mali ſuſpicans, rem neglexit. Eodem quoque errore ducti gubernatores Reipublicæ, id pro nihilo putauere; tantum ſcilicet ponderis habet apud omnes penitus inſita de alicuius probitate opinio, ac vetuſta. collectis itaque, ac diſpoſitis omnibus, hora circiter tertia noctis affuit Fliſcus, cunctos hilari vultu ſalutat, vnumquemq; nominatim appellat; Erant autem numero triginta ex plebis, & popularium multitudine ſelecti viri; quos fato per-

funct os,

ſunctos, ne nominatim tradam, Genuenſium reipublicæ, atque eorum poſteris tribuendum puto: Stans vero Fliſcus ipſe,& admotis menſæ manibus,ſingulos aliquanto conſpicatus huiuſmodi orationem habuit. Ad quam vos cœnam fratres amantiſsimi, viriq; ſpectatiſsimi hac nocte adhibere velim, quibusue ferculis, ac cibis inſtructam, facile omnes intelligent, qui virtutem veſtram ſingularem, meumq; erga vos ſtudium non ignorauerint. Horum ego optime conſcius, cum inſtitui epularum apparatum, quem futurum confido vnicuiq; veſtrum multo iucundiſsimum, ex quo reliquiarum ſpero nihil ſuperfuturum: Ad eam igitur pulcherrimam omnium cœnam vos delegi, ad quam præclariſſimos olim viros vt inuitarentur mirum in modũ optaſſe, neque tamen impetraſſe,conſtat. Perſpectam enim habeo animorum veſtrorum magnitudinem, quibus præſtantiorem vllum, cario remue cibum afferri non poſſe ſcio, quam veræ laudis, & gloriæ vberrimos immortalesq; fructus; qui cum ex rebus optime geſtis potiſsimũ capiuntur, tum in reprimenda hominum audacia, repellendoq; ſeruitutis iugo præſertim percipiuntur. Nihil enim in libertate educato ſeruitio turpius, nihil eius depulſione glorioſius. Quid vero eſt, cur hæc proponam, nemo adhuc

veſtrum non intelligit. Quis enim Iannettini, atque Andreæ Auriæ ſuperbiam, arrogantiamq; intolerandam non nouit? non vehementer odit? vlciſci non cupit? Horum ego tyrannidem ductu veſtro fortiſsimi viri omnino delere, amboſque vna cum eorum ſectatoribus interficere deliberaui. Horum ſcelera prætermitto, quæ non tam omnibus aperta, quam moleſta ſunt. ad illa venio, quæ ad ſummam Reipublicæ, atq; omnium noſtrum vitam, ſalutemq; pertinent. Nam veſtrum neminem neſcire arbitror, Iannettinum è Cæſaris aula nuper reuertiſſe, ſed quæ ibi fuerit molitus, vel obtinuerit, quantoq; cum omnium bonorum detrimento, fortaſſe ignoratis. Nunc rem omnium indigniſsimam audite: an ferenda ſit, iudicate; ipſum videlicet Iannettinũ furentem audacia, ac peſtem patriæ perpetuo molientem, poſt Andreæ iam ſenio confecti obitum Reipublicæ dominatum occupaturum. Huius tam nefarij ſceleris, quoniam me in primis vindicem futurum veretur, clam de medio tolli, & ferro, & veneno necari iuſsit. Quod cũ ſæpius tentauerit, neque ex ſententia euentus proceſſerit, nunc & veſtrum plurimorum, qui adeſtis, & mei ipſius cędem palam facere intendit; nam vbi libido dominatur, innocẽtiæ leue præſidium eſt. Tanta igitur, tamq; inaudita flagitia

ſpectabimus nos, & ſuſtinebimus. Vrbem, domos, lares denique noſtros ab impijs ſceleratorum manibus inflammari, incendi, funeſtarique perferemus? Ego quidem ſi huiuſmodi incendium meo ſanguine extingui poſſe ſperarem, cũ patriæ vltro offerrem, verum quia meam, vel potius noſtram perniciem cum ſumma Reipublicę calamitate coniunctam video, rem huc deduxi, vt inimicorum cruore id facile reſtinguamus. Vos itaque ad tam pręclarum facinus aggrediendum minime cohortandos puto, ne ingenijs veſtris diffidere, aut parum virtuti veſtræ confidere videar. Sed vobis tantum exponam quibus nam viribus id confici poſſe exiſtimẽ. non enim ad bellum vos (quanuis miſerum ocium vel cũ bello bene mutatur) neque ad periculum voco; ſed ad iam partæ victoriæ triumphum. Trecenti amplius lectiſsimi milites nobis aderunt, quorum partem in triremi nuper me impoſuiſſe ſcitis; partem hic nobiſcum habemus. Iis prætorium, vrbis portas (quibus etiam in locis milites tentaui, pellexi, pecunia, ac largitione in meã ſententiam penitus adduxi) nullo prorſus labore expugnabimus; quod munus Cornelio, atque Ottobono optimis fratribus iniunxi; illis vero, portum, nauale, Andreæ triremes, nauesq; omnes occupabimus; & nos ſubſidio veniemus, po

pulum ad arma, ad libertatem vocabimus, excitabimus: ſic inimicis omnibus deletis, Reipublicę ſtatum in priſtinam libertatem aſſeremus; atque optime conſtituemus: præterea neque regis Galliæ, neq; Pontificis ſummi, vel Petri Aloyſij Farneſij auxilia nobis deerunt. Quare magno animo, & virtute viri, omnia ita parata, ac prouiſa ſunt, vt non minus tutum, quam glorioſum, & illuſtre factum in manu veſtra eſſe perſpiciatis. Habetis ducem memorem veſtri, oblitum ſui, quæ non ſemper facultas datur: non eſt amplius cunctandum, inimicos ſomno ſepultos habemus, omnia vobis fauſta, & fortunata euenient. Quæcunque mihi vni proponatur fortuna, ſubeatur; mortem quoque ſi opus fuerit, oppetendam ſtatuo, dummodo patrię incolumitas, vobis tranquillitas, & præclariſsimi facti gloria ſempiterna pariatur. Tacenti deinde Fliſco, & in fine orationis ſuum quaſi interitum obnuncianti, aſtantium fere omnes magno applauſu aſſentiuntur, ſummiſq; ipſum laudibus ad cęlum efferunt, quacunque vocarit acceſſuros, omnia ſe in eius gratiam facturos affirmant. Cum vero aſpiceret Fliſcus nonnullos tacito ore ſtātes, oculiſq; humi defixis: Quid (inquit) ſuſpenſo eſtis animo? patriæ igitur liberatorem, ciuium, ac veſtræ potiſsimum ſalutis conſeruatorem de-

ſeri,

ſeri, hoſtibusq; dedi ſinctis? ſi mihi occumbendum eſt, amicorum manibus, quam inimicorum occidi præſtat. Quæ cum diceret, pugionem educit, illisq; porrigit, vt ſe interficiant potius, quam deſerant, orat. Omnes itaque, duobus tantum exceptis, ſe mortis periculo alacriter commiſſuros pollicentur: vterq; Baptiſta nomine, alter Iuſtinianus, alter Baua, ſe armorum periculis deterreri inquiunt, ita, vt cęteris terrori omnino eſſent futuri. Tum fuere qui dicerent, eos, tanquam deſertores, patriæque proditores, morte mactandos. Hoc tamen Fliſcus non eſt paſſus; ſed ambos in cubiculo aſſeruari imperauit. Interim cibi nonnihil introfertur, nemo accubuit, pauci ſtantes pauca delibarunt. Tunc Fliſcus ad vxorem, quam amabat vnice, adijt. Erat hæc Iulij Maſſæ Marchionis, cuius ſupra mentionem feci, ſoror. ei nunciat ſe pleroſque inimicorum, vt patriam, ſeq; ab imminenti periculo liberet, interfecturum, bene eam ſperare, ſi quid tamen aduerſi contigerit, æquo animo ferre rogat. Quam ſubito timore perterritam, atque exanimatam videns Paulus Panſa vir multa probitate, & prudentia, qui tantæ rei ignarus cum ea muliere de Genuenſium more tempus eloquijs terebat, id Fliſco ipſi, familiæ, ac patriæ exitioſum futurum ratione demōſtrat, exemplo

confirmat. At Fliſcus cũ iactam iam eſſe aleam diceret, eiq; ſilentiũ indiceret, vxoris ſaluti ſubuenit, amiſſasq; vires reuocauit; pluribusq; deinde, atque amantiſsimis verbis eam conſolatus, ad ſocios redijt, cunctisq; arma diſtribuit. Hoc interim ſpacio, miſſus a Fliſco ſpeculator, qui omnia vrbis loca circumiret, ac perſcrutaretur, & quę fieri comperiſſet, ipſi renunciaret, reuerſus attulit, nullum vſquam motum, vrbem quietam, cuncta eſſe ipſis opportuna: Verinaq; ipſe eductis militibus, pro foribus conſtitit. Erant ij omnes lorica induti, quorum plurimi ſclopetis, nonnulli breuioribus haſtis, gladijſque tegebantur. Ipſe vero Fliſcus dextera gladium tenens, ſiniſtra ſcutum galeatus triplicem pari numero aciem inſtruxit: primam Cornelio, ſecundam Ottobono fratribus, & Calcagno, tertiam ſibi reſeruauit, cunctosq; breuiter cohortatus magnis præmijs, & pollicitationibus excitat. Erant & in ipſa Fliſci acie Hieronymus ipſius frater, Verina, Saccus, & reliqui triginta, quos antea memoraui. Multa quidem Fliſci caſum portendiſſe traduntur: Vt quaſi de cælo monitus, & ab incœpto ſcelere reuocatus videretur. Nam pridie illius diei plures penes eum corui e ſiniſtra volitaſſe; ac multo clamore perſtrepuiſſe dicuntur. Canis autem in delitijs habitus die,

ac

ac nocte ipſa magnos vlulatus, ac veluti gemitus effudiſſe, ipſe denique domo egreſſus, limine offenſo pede ferè collapſus: quo cum Fliſcus deterritus videretur, Calcagnus adieciſſe fertur mala omnia veterum more in meliorem partem eſſe interpretanda. Pridie igitur nonas Ianuarij anno ſalutis noſtræ ſeptimo ſupra mille quingentos quadraginta Fliſcus Cornelio ad portam Arcus occupandam præmiſſo de ſecunda vigilia inſtructus cum ipſa coniuratorum manu, vnáq; Ottobonus, ſummo ſilentio ad pontem Cattaneorum (vt vocant) contendit, ordines deſerentibus capitis pœnam inſtituit. Habet Genua firmiſsimis ſepta muris portas omnino quinq; Qua orientem ſolem ſpectat, Arcus porta; qua occidentem, Sancti Thomæ appellatur. ijs incolæ, ac præſertim exteri habent in ciuitatem aditus. Nam & Cazolæ porta, & Carbonaræ, atque Originanæ pertinent ad Septentrionem, monteſq; ipſos attingentes ciuium commodo potius deſeruiunt ad villas euntium. Qua vero parte ad meridiem Vrbs conuerſa alluitur mari, aditus patent multi, iactis quaſi molibus, quos pontes appellant, eorum cognomine ex nobilium familijs vt plurimum ſumpto, tum mercibus exponendis, tum nauibus onerandis opportunos. Iam Fliſcus Diui Andræ viam, & Diui

Donati vnà cum area Saluagiorum progrediẽs, atque Vrbe magna ex parte peragrata ad pontẽ Cattaneorum peruenerat, indeq; Ottobonum, & Calcagnum ad conſtitutum munus explendũ dimiſerat; quo in loco vbi ſuam triremem, vti mandauerat, inſtructam inueniſſet; atque illius præfecto imperaſſet, vt ad nauale aggrediendũ maturaret, præſidium deijceret, portamq; verſus continentem ſibi aperiret, triremis ipſa (mirabile dictu) vſque adeo immobilis hęſit, vt nullo prorſus remigum nixu, vel ſtudio loco moueri poſſet. Qua de re Fliſcus vehementer commotus, qui cuncta quam celerrime conficienda deliberaſſet; vt quę ſibi impedimenta aduerſa fortuna afferebantur, virtute ſuperaret, Thomã Aſſeretum cognomine Verzem ad ſe vocari iubet, ei quæ fieri vellet oſtendit. Is vti erat imperatum terreſtri itinere cum firma militum manu ad naualis portam ſe contulit, ibiq; ſigno dato a cuſtodibus, qui Verzem cognitum haberent; ac nihil idcirco mali ſuſpicarentur, introducitur; ſubſequentibus deinde militibus, ac fraude detecta, repẽte in viam omnes extrunduntur, atq; eijciuntur nonnullis eorum vulneratis. Cuncti itaque in fugam conuerſi ad Fliſcum adhuc in triremi excitanda occupatum magno ſe tumultu recipiunt: coniurationem patefactam, rem

 funditus

funditus euerſam renunciant. At Fliſcus eorum ignauiam increpans mandat Scipioni Burgonino perſpectæ virtutis cẽturioni, vt naualis oſtiũ è mari aggrediatur, præſidioq; deiecto portam ſibi, ac ſuis patefaciat. Ille militibus in ſcaphas, & obuia quæq; nauigia celerrime impoſitis, fortuna proſpere functus, breui imperata fecit. Per id fere temporis remigum, ac nautarum induſtria triremis ipſa tandem excitata nauale con tendit; tum quoque Fliſcus vna cum reliquis coniuratis terreſtri via in nauale ingreſſus, magno clamore ſublato, in triremes Principis impetum fecit, ac, nullo prorſus repugnante, cunctis ad viginti facile potitus eſt. Nam triremibus in hibernis, ac præſertim in nauali admiſsis, præter remiges, & nautas, imbelle, vt plurimũ, hominum genus, nullæ, quoniam ijs minime opus ſit; collocantur cuſtodiæ. Dum hæc in na uali geruntur, Cornelius portam Arcus pariter ceperat, pleriſque ex præſidio militibus interfectis. Haud ſecus ſancti Thomæ porta, ſed maiori contentione, ac ſanguine ab Ottobono, & Calcagno, excubiarum perfidia, vt dicitur, in ſtationem admiſsis, expugnatur: Lercarius præfectus militum capitur, ipſiusq; frater, atq; alij cõplures vna obtruncantur. Quibus Iannettinus, qui ſe dormitum paulo ante contulerat, excita-

tus,

ctus,extemplò ſurgit, ſeditionem inter nautas,vti ſæpe contingit, in nauali ortam exiſtimat; nam inde ſtrepitus augeri exaudiebantur. ad Principem igitur adijt, ſe ad tantos tumultus ſedandos iturum dicit. At Princeps vt ſibi caueat monet, non rixam amicorum illam; ſed cædem potius videri. Is vero, qui dedecus admittere maximũ malorum omnium, idq; duntaxat ſibi metuendum, duceret, ſolo puero, qui facem accenſam præferret, comitatus,atque enſe tantum arrepto ad ſancti Thomæ portam iter intendit, vt militibus inde ſumptis, quod ſe facturum arbitrabatur, nauale peteret. Exeunti domo fit obuiam vxor lectiſsima fœmina flens, genuq; nixa ipſum obſecrat, ne inermem, ac ſolum ſe alienæ poteſtati committat, neue liberorum, vitæq; ipſius pericula negligat, aliquem prius ad explorandũ mittat. Egreſſus tamen, nouiſsimo inſtante die; continuo a coniuratis, qui occupata ſancti Thomæ porta in ſpeculis, atque inſidijs fuerant collocati, aſpicitur vnus adueniens, atque agnoſcitur. Vbi portæ appropinquauit, cuſtodiasque appellauit, porta a coniuratis illico patefacta, vt ingrediatur clamant, confeſtimq; in eum impetu facto plurimis ſclopetorum ictibus letaliter vulnerant, ac præclariſsimum ciuem bonis omnibus, atque vniuerſæ ciuitati indigniſsime eri-

piunt.

piunt; Interfecto Iannettino, tantum illius cædis participes oppreſsiſſe ſtuporem traditum eſt, vt qui ex condicto in Principis domum confeſtim inuadere, ipſumq; in primis petere, ac necare debuiſſent, nemo poſtea, quaſi manus, & pedes obtorpuiſcent inde mouerit, atque eam morã Principi in primis ſalutem attuliſſe. Quem eorum, quæ agerentur, prorſus ignarum paulo poſt docet Aloyſius Iuria populum in armis eſſe, Eliſcorum nomen, ac libertatem conclamare, tumultu, & cæde cuncta miſcere. Ac dubitare neminem plebem ad nobilium domos diripiendas, inimicos, ad eum confeſtim opprimendum aduolaturos, ſaluti fuga, non conſilio quam celerrime prouidendum. Verum Princeps ſe, & cum Repub. vixiſſe pariter, & ea extincta vna periturum affirmat, atque animo inuicto perſtat. Familiarium tamen monitis, vxoriſq; præſertim precibus, qui dicerent eum omnino ſaluum pro patriæ ſalute ſeruandum, pene q; obſecrantium violentiæ vix tandem ceſsit. ijs itaque auxiliantibus, comitantibuſq; ſenex infirmus octuageſimum agens annum mulæ inſiluit, iterq; Sauonã verſus arripuit, animo autem, & corpore vſque adeo ægro, vt vix prima luce Seſtrium attingeret, qui locus ſex tantum millibus paſſuum Genua abeſt. Tunc Iannettinum, de quo ſæpius

fuerat fruſtra percuntatus, interfectum primo audit, portas Ciuitatis, eius triremes, vniuerſam denique vrbem in Fliſcorum eſſe poteſtate. Vbi igitur ſe paululum ex itineris labore refeciſſet, Maxonem profectus eſt, familiæ Spinulæ oppidum, a Seſtrio nouem millibus paſſuum diſtans. Ipſi vero adhuc quid ageret addubitanti, paulo poſt ecce e Senatu nuntius ſignificans poſtquam Fliſcis cuncta ex animi ſententia ſucceſsiſſent; resq; Genuenſium in ſummum eſſe diſcrimen adductæ viderentur, Deum optimum maximum noctem minacem bonis omnibus formidandam, ac Reipublicæ in primis exitioſam leniuiſſe, tantamq; ab Vrbe cladem vnius Fliſci interitu auertiſſe. Quæ omnia ſumma audientium attentione, vti geſta eſſent, pluribus exponit. Ego vero vt nihil eorum a me prætermiſſum eſſe videatur contendam. Iam portis Genuæ captis, & Principis triremibus, cunctisq; nauibus, quæ in nauali fuerant, expugnatis, Hieronymus, vti conſtituerant, magno inſtructus comitatu compluribus ex Genuenſium plebe obuiam euntibus atque illi ſe adiungentibus, in ciuitatem irruperat, ac populum ad libertatẽ, ad armaq; vocans ſic prætorium verſus ibat, vt iam nemini dubiũ eſſet, Iannettino interempto, Principe in fugam coniecto, perterritisq; omnibus, & animo & viribus

ribus

ribus deſtitutis, quin cuncta eſſent in Fliſcorum dominatu breui futura. Attamen Genuenſium felicitate accidit, vt ingenti nautarum fremitu, ac præſertim captiuorum, qui ſe catenis exuere niterentur, ſtrepitu facto, dum feſtinat Fliſcus in triremes præſidia imponere, quibus maxime inſtructis potiri cupiebat, atque huc, & illuc accurrit, occurritque omnibus, & prouidet, ac triremes properans percurrit vacillantes, vti neceſſe erat, ac fluctuantes, pede ſuper mobili ponte, qui binas, vti mos eſt, triremes coniungebat, illato ipſe repentinò vna cum ponte delapſus ſit in mare, ibiq; inter noctis tenebras, & multitudinis profuſos clamores a nemine viſus, vel auditus perierit, id neque opinâte Verina ipſo, quem omnibus in locis ſibi affixum habuiſſet. Vt quod de Græcia prouerbij loco olim dictum fuerit, nunc de Genua haud abſurde dici poſsit.

Genua capta ferum victorem vicit.

Fuit apud multos opinio, ruentis caput tabulam pontis vna præcipitantis percuſsiſſe, illumq; ſenſu pene carentem quanuis nandi peritum, nihilominus necatum fuiſſe. Verum in nauali tanta erat nauium multitudo, vt tota fere maris ſuperficies occupata vix demerſo vllum emergendi locum daret, ibiq; omnino eſſet pereundum. Qui Fliſci caſus horam diligenter obſeruarunt,

eo temporis momento, quo Iannettinus ad Portam occiſus eſt, illum mari obrutum tradunt, ſceleris quidem, & perfidiæ pœnas continuo pendêtem. Sic poteſtate cunctis facta quicquid liberet faciendi, captiui ex triremibus egreſsi partim è catenis ſoluti Principis triremem conſcendunt, ac magno Chriſtianorum detrimento in Africam citatis remis confugiunt: partim diſperſi vltro citroq; vagantes ingenti catenarum ſtrepitu Vrbis vias ingreſsi cuncta miſcebant, ac turbabant, Genuenſesq; admiratione ſimul, & timore afficiebant. Tunc Principis quoque triremes reliquæ à remigibus ipſis, nautiſq; & plebe diuexatæ, direptæ, ac veluti naufragio nudatæ ſunt. Nam Genuenſis plebs in pecunijs locupletum auida, optatum ſibi iam antea tempus, tum oblatum exiſtimans, bonorum direptiones, incendia, ac cædes deſtinabat. Nox vero multis in audaciam, pluribus in formidinem opportuna; Multi inſuper, quibus perdita Republica nulla ſpes, odio tamen præſentium, & cupidine mutationis ſuis quoque periculis lætabantur. At mulieres, quarum viri vel ſomno experrecti, vt ea vnde eſſent diſcerent, in publicum prodierant, vel cum Fliſco ad cęnam inuitati fuerant, tumultu, clamore, atq; armis vniuerſam Vrbem perſonare audientes, corde trepidantes, lamentatione,

ſtatione, eiulatuq; omnia complebant. Cum tamen Fliſcorum nomen, ac libertatem paſsim conclamari exaudiret populus, huiuſmodi voces illuſtri gratia, ſummaq; lætitia excipiebat, ob ſingularem ipſius in Fliſcum beneuolentiam. Fit interea concurſus in forum: cardinalis Auria, Figueroa, Adamus Centurio, complureſq; alij ex optimatibus ad Reipublicæ gubernatores, & Ducem frequentes conueniunt, quis nam patriæ arma inferret vicisſim requirunt. Omnes re inopinata perculſi (nam eo amplior, quo obſcurior metus) magnum ſibi allatum periculum, ac diſcrimen patriæ intelligunt, a quo autem crearetur, aut ei quomodo occurri poſsit ignorãt. Conſilio tamen pro tempore capto imperant cohortis prætoriæ ſignifero, vt nauale verſus eat, hoſtium nomina, & conſilia exploret, & ad ſe quamprimum redeat. Exijt cum armatis circiter quinquaginta ſignifer, negociumque breui confecit; cum vero non longe a nauali abeſſet, in Hieronymumq; de improuiſo incidiſſet, pugnam inire auſus facile ſuperatus, ac fugatus ad gubernatores reuertitur nonnullis ſuorum amiſſis; Omnia illis de Fliſcorum coniuratione vti exploratum haberet, enunciat. Ad Fliſcos igitur oratores mittere Hectorem Fliſcum, & Auguſtinum Lomelinum viſum eſt cum mandatis,

ſi quid velint Fliſci, ab armis primo diſcedant, de inde a Senatu petant: id ſi fecerint, pollicentur obliuionem rerum geſtarum: ij celeriter profecti Hieronymo apud Diui Sire templum occurrunt, mandata exponunt. Verum a multitudine pacis condiciones aſpernante probris affecti, ac pene oppreſsi, fuga ſalutem petunt. Augetur itaque ex alieno metu audacia. Hieronymus, qui poſt nauale captum, eo animo fuerat Vrbem ingreſſus, vt continuo Ioannem Aloyſium ſubſequuturum putaret; quãuis fallaci ſpe ductum ſe, ac magno deſtitutum præſidio videret (nihil adhuc de interitu fratris certi habuerat) ad prætorium tamen occupandum magno animo proficiſci non dubitabat, cum ſibi aduerſantem, vel repugnantem reperiſſet neminem. Frequenti igitur multitudine ſæptus, animos ex euentu ſumptura, vbi ad Diui Laurentij templum peruenit (hoc penes prætorium eſt) ibi Ioannem Aloyſium procul dubio necatum, ſe vero a cunctis extemplo deſertum cognouit: Nam cum vnuſquiſq; vnum Fliſcum terra, & mari conquireret, nuſquam vero ille cõſpiceretur, miſerabiliq; tandem caſu extinctus vulgaretur, animis vſque adeo concidere, vt ſolo Fliſco deficiente cunctos cuncta deficere viderentur. Maximis itaque difficultatibus ſimul affectus, atque

 afflictus

afflictus Hieronymus, poſtquam negocium per ditum, euerſumq; penitus proſpicit, cedere tẽpori ſtatuit, atque e veſtigio ſe vrbe proripuit, Montobiumq; Fliſci oppidum petere contendit. Ottobonus, Calcagnus, pariter & Cornelius, re ſimul perſpecta ſeſe in fugam conijciunt, eodẽq; recipiunt, ac paulo poſt ijdem fratres in Galliam profugiunt. Cęterum Verina, qui in nauali expugnando egregiam Fliſco operam nauauerat; eumq; vbiq; perquirendo, & cuncta perſcrutando, nullibi tamen repererat, extremum diem cõcluſiſſe audiens, quem in locum res deducta eſſet videns, Fliſci triremem conſcendit, ac Maſsiliã tranſuectus eſt. Varij ea tempeſtate, vt ſunt hominum ingenia, ferebantur de Fliſci coniuratione ſermones; multis Fliſcum accuſantibus, non ſcelerate magis, quam temere peſſimum facinus aggreſſum: nihil ante explorati habuiſſe, cum populus, vti neceſſe erat, arma corripuiſſet, cui nam imperium delaturus fuiſſet: nihil de patritiorũ animis, nihil de Verinę prauo hominis ingenio, vel fide, vel facultate certi habuiſſe. An Principe Auria viuo, cuius maxima apud omnes Ligures eſſet auctoritas, etiam ſi vrbe Fliſcus eſſet potitus, diu ſe illam tueri poſſe ſperaſſet? vel Cæſarem eum Genuæ dominari paſſurum, cuius in ſe perfidiam, infenſumq; animum, atque in

ipſius ſtudioſos cognouiſſet? vel Fliſcum vix Genuam ingreſſum ſatis virium, quas Cæſarianis militibus opponeret, habiturum? Contra alij diſſerere, in tam arduo negocio quæcunq; ratione, calliditate, & conſilio prouideri poterant, Fliſcum prouidiſſe, beneuolos, obnoxiosq; in patria, fautores in tota Liguria, ſocios, & adiutores vndique conquiſiuiſſe, & comparaſſe, cuncta in præſens tempus opportuna, cuncta in futurum neceſſaria præparaſſe; vt triremes, nauesq; omnes, in quibus potiſsimum Genuenſium eſt robur, vt publicæ, priuatæq; opes in bellis ciuilibus ferro validiores in ſua eſſent poteſtate, mirũ in modum effeciſſe; rem omnem, quod in primis difficillimum ſit, ſummo ſilentio compreſsiſſe, amicos, inimicosq; fefelliſſe. Cur vero de populi voluntate Fliſco dubitandum? quem ſibi magna ex parte addictum donis, ac dolis allicere, & capere poſſet, coercendi quoque poteſtatem haberet? aut quicquam a Verina metuendum? cui Fliſci imperium, beneuolentiæ fideique cauſam potiorem eſſet allaturum, auctoritatem vero in rebus gerendis longe maiorem. Principi, Fliſco incolumi, omnino pereũdum, ſerum ſeni in fuga præſidium. Atqui Cæſarem Germanico bello diſtentum, Neapolitanis tumultibus perturbatum, cum Fliſco fœdus ſancire potius,

quam

quam bellum gerere maluiſſe; huius rei non ſolum probabile, verumetiam certiſsimum afferri argumentum, Cæſarem videlicet ipſum primo coniurationis nuncio à Fernando Gonzaga accepto, qui omnia Fliſcis proſpere, vti fuerat ſtatim vulgatum, eueniſſe diceret, confeſtim ei mãdaſſe, vt Fliſcum quibuſlibet condicionibus in officio retinendum curaret, quæcunque illi ſpopondiſſet, perſoluturum. Hæc, & ijs ſimilia dum paſsim iactarentur; Senatus Benedictum Centurionem, & Dominicum Auriam Legatos ad Principẽ mittit, qui de Iannettini morte, ipſiusq; iniurijs, ac periculis conquererentur, atque eũ ad componendum Reipublicæ ſtatum arceſſerent. Cum autem Princeps Genuam reuertiſſet, in ſenatumq; veniſſet, ac de Fliſcorum coniuratione ad Reipublicæ gubernatores retuliſſent, complures de ui, ac maieſtate Fliſcos, eorumq; criminis conſcios poſtulabant, variæ tamen ac diſcrepantes, vti fit in amore, & odio, dicebantur ſententiæ. Fliſcum quidem hominem omnium immaniſsimum ciuibus, coniunctis, boniſq; omnibus, ac de ſe præſertim optime meritis inſidias, vim, interitumq; paraſſe: ciues in ciues ipſos, in patriam denique ipſam armaſſe, atq; incitaſſe; attamen ſui ſceleris (quod Dei optimi maximi nutu factum videretur) pœnas dediſſe;

auctore ſublato cum cęteris mitius agendum eſſę, quibus improuiſo veluti morbo oppreſsis, neque ſpatium ad cogitandum, neque arbitrium ad deliberandum Fliſcus reliquiſſet; quem non tam ſui facinoris ſuaſorē, quam importunæ abnuentium conſtantię vltorem fore perſpicerent. Ea namq; petenti denegare, cui reſiſtentem compellere liberum ſit, ac plectere, ſummæ eſſe dementiæ: contra vero ſapientis ſemper habitum tempori cedere, & neceſsitati parere. Quod ſi recte, diligenterq; factum expenderent, neque in fraude capitali eſſe ponendum, neque crimini illis datum iri, quod Fliſco aſſenſi eſſent, atque cū illo ipſo cōtra Rempublicā fuiſſent, quoniam id neceſſario, ac metus cauſa fēciſſent. Sæpe multos leui animaduerſione ciues a grauioribus ſceleribus reuocatos, egregiam deinde operam patriæ nauaſſe, ac magno Reipublicæ vſui, atque adiumento fuiſſe. Quantum facinus patratum eſſet, omnes perſpicere, ipſius vero affines, & ſocios quis adhuc compertum haberet? ſi paucos putarent, vehementer errare; latius opinione diſſeminatum id eſſe malum; cui ſi violentum aliquod remedium afferre conarentur, plane inter omnes conſtare magnum cum perditis ciuibus bellum, qui magnorum auxilio virorum, ac potentia nitantur, eſſe gerendum, ac Reipublicæ

in

in partes diſtractæ, maximas poſt hominum memoriam clades, incendia, ac direptiones impendere: ea vero parua quidem declinatione poſſe vitari, quando eſſet ſententiæ locus, per quam neque illis peccati detur impunitas, neque ſenatum crudelitatis pæniteat, ſi conſcios videlicet coniurationis exilij tantum pœna mulctarent. Patriæ ciues ſeruaſſe, nihil præſtantius animo fingi, laudabilius nihil omnino poſſe excogitari. Contra alij longe alia ratione impiorum ciuium conatus perditos, ac maleficia fore vindicanda: Fliſcum quidem in Republica violanda fraudes inexpiabiles concepiſſe, vltorem Deũ (cui ſempiternę in Genuenſes pietati maximæ in primis habendæ eſſent gratiæ) ac vindicem habuiſſe, quid in cęteris ſtatuendum eſſet, oſtendiſſe: eos vero ad tam incredibile ſceleris fœdus aſcitos maiore etiam odio, ſupplicioq; dignos idcirco cenſeri, quod non ſolum omnes vnum Fliſcum à tanto ſcelere committendo reuocare conati non ſint, verumetiam ipſius ſe ſocios, & adiutores præbuerint, hortatoresq; fuerint. Multos mortem oppetere, quam patriæ arma inferre quondam maluiſſe: quãdo turpis, nocensq; vita omni ſit morte peior, ac deteſtabilior. An quoniam amici, vel metus cauſa peccaſſent, iuſtam forte peccati excuſationem eſſe putarent?

Quid? neque Iuſtinianum, neque Bauam vidiſſent, quos conſtantiſsime recuſantes Fliſcus nulla affectos iniuria, dimiſiſſet? nempe cum corde oculos conſentire, quia furor, ſcelera, & cædes, quibus omni animi impetu incumberent, ante eorum oculos obuerſarentur. Quid igitur vim illis factam inculcare attineret, vt eos a iuſta, meritaq; pœna eximerent, cum id perſpicuum eſſet audaciſſimos homines uix Fliſco in eo, quod crudeliſsimi cõſilij auctor fuiſſet concedere: deprauata voluntate, & cupidinum fœditate longe ſuperiores eſſe. Tales igitur ciues incolumes ſeruare nemo e Repub. fore exiſtimaret, qui cum patriæ hoſtes ſemel eſſe cęperunt, ſi ab eius pernicie repellantur, neque beneficio placari, neq; vi coerceri poſſent. An eos ipſos formidare oporteret, quibus ſi vlla vnquam conſilij, vel virtutis imago fuiſſet propoſita, neque ſe tam nefario ſcelere pollui, neque ſeruitutem libertati præferẽdam eſſe adduci potuiſſent? Num extranei principes Genuenſibus formidandi, quos Cæſaris arma tueantur, atque defendant? Quod ſi ea quoque deficerent, nunquid ipſis priſtina foret virtus perpetuo defutura? Vbi tunc illa veteris Reipublicæ dignitas, & amplitudo, vbi illa antiquorum Genuenſium gloria? Vbi qui cum Piſanis olim, ac Venetis eodem tempore feliciſsime

decertarint? tot ipſorum claſſes fuderint, euerterint? tot inde palmas tulerint? qui toto ſe Mediterraneo mari celebres, atque verẽdos fecerint? qui in Cypro, qui in Syria, qui in tota fere Aſia, atque Europa præclariſsima bella geſſerint, tot vbique victoriæ, ac bellicæ laudis inſignia expreſſerint, vt Genuenſe nomen apud omnes nationes illuſtre eſſet, ac glorioſum? Nimirum hęc tanta erant, quia ea tempeſtate iuſtitiam colere, concordiam amplecti didiciſſent, nihilq; præſtã tius duxiſſent, quam de Republica bene mereri. Quod ſi idem ipſis animus eſſet, Italiæ, externiq; Principes non tam de Genuenſium pernicie, quam de propria ſalute laborarent: Priuatos ſæpæ pernicioſos ciues morte mulctaſſe, inter præclara Genuenſium facinora adnumerari. De ijs vero, qui nauale fuiſſent aggreſsi, atque expugnaſſent, qui milites præſidij trucidaſſent, qui Iannettinum denique ipſum crudeliſsime interfeciſſent, adhuc ſenatum dubitare quid eſſet ſtatuendum? Quoſcunq; igitur coniurationis participes, bonis ſpoliari, vita priuari, vbique gentium perquiri, interficientibus præmia proponi placere. Coniurati itaque patriæ hoſtes omniũ ſententijs iudicati capite damnantur, atque eorum bona proſcribuntur. Paulo autem poſt Genuenſes a Cæſare præſertim moniti, & cohorta-

ti Montobium, quo coniurati fere omnes ſimul, & Verina eo Maſsilia aduolans fuga ſe receperat, expugnare inſtituunt, copias contrahunt, illisq; Auguſtinum Spinulam præficiunt. Obierat iam antea Spinula ſumma cum laude cuncta ferè caſtrenſis diſciplinæ munera; tum vero patriæ in primis nauandæ operæ cupidus, oppidum circumuallare aggreditur, erat enim edito, arduoque loco poſitum, vt ſola obſidione capi tantum poſſe videretur. Perfecto opere, hoſtibusq; ad ſummam omnium rerum inopiam adactis, ac tãdem deditis, de Hieronymo, Verina, Sacco, & Calcagno, ac reliquis, qui ibi fuerant, coniuratis, legitima quæſtione habita, ſupplicium ſumitur, Fliſci domus ſolo æquatur, ipſiusq; oppida iuſſu Cæſaris fiſco addicuntur, partim principi, partim Genuenſium Reipublicæ, Antonio Auriæ, Hectori Fliſco, atque Auguſtino Lando attribuuntur, Pontremoli ſolum oppido Mediolanenſi ditioni addito. Cornelius, & Ottobonus, qui in Galliam, vti dixi, contenderant, ibiq; optimo vſi conſilio remanſerant, ſoli incolumes ſeruantur. Sic itaque videri poterat coniuratos illatam iniuriam grauitate ſupplicij compenſaſſe, ni præclariſsimo ciue Iannettino orbata patria, ipſius deinde animi robur, & fidem duris Reipub. temporibus fruſtra implorare ſæpius, ac flagitare fuiſſet coacta.

L. SERGII CATILINAE, ET IOANNIS ALOYSII FLISCI COMPARATIO.

PErſpecta vtrinque, & quaſi ſuo momento, & pondere examinata Catilinæ, ac Fliſci coniuratione, nunc vtriuſq; conſilium, progreſſus, atque exitus intueri neque erit ab re, neque iniucundum, cum ex alienis ærumnis ſæpe noſtris incommodis medicinã faciamus, ac bona tanto ſtudioſius amplectamur, quanto vehementius mala vitanda ducimus. Sicuti enim in venenis quod deterius ſit, ac pernicioſius ideo quæri ſolet, vt eo demonſtrato ſalutaris antidotus contraponatur: ita in coniurationibus, quænam ad cædes, priſtiniq; ſtatus euerſionem faciliorem, occultioremq; aditum habuerit, maxime animaduertendum eſt. mala enim intellexiſ-

ſe, vt præcaueantur, præterquam quod neceſſarium eſt, cum prudentis, tum optimi quidem eſt viri. Vterque igitur nobiliſsima ex familia ortus, ambitione nimia ductus, vir ſummæ audaciæ longe maiora, quam par eſſet, appetens fuiſſe, oblatamq; ciuium diſcordijs occaſionem arripuiſſe videtur: multa inſuper habuiſſe maximarum adumbrata ſigna virtutum. Ad hæc conſilium ad facinus aptum, conſilio autem neque abfuiſſe linguam, neque manum defuiſſe. Illa ve in vtroque mirabilia extitere, vt tam illi, quam huic ſtudium egregium fuerit comprehendendi multos amicitia, tuendi obſequio, cum omnibus communicandi quod haberent, eſſetq; vtrique perfacile ſeruire temporibus ſuorum omnium, pecunia, & gratia verſare ſuam naturam, & flectere. Ambo itaque clariſsimis viris, ac de ſe præſertim optime meritis inſidias, neceque moliti in ipſis tandem occubuerunt inſidijs, atque in ea incommoda, quæ in alios machinabantur, inciderũt: nihil enim improbis hominibus atrocius, quam id ipſum, in quod ſponte ruant. At peccandi cauſam alteri ſumma rei familiaris egeſtas, & conſcientia ſcelerum, quod omnino deteſtabile eſt, alteri inuidia, & gloriæ cupiditas, quibus nonnulla virtutis ſpecies ineſſe videatur, attulit. Illi fœdi oculi, color exanguis, prorſus

in

in facie, vultuque vecordia inerat, huic egregia forma, ſpecies liberalis, multumque vultus tum dignitatis, tum venuſtatis afferebat. Alter ſcelerum iam antea, libidinumq; maculis, inſania quoque, & furore notatus; alter vero horum omnium non modo infamia, ſed ne ſuſpicione quidem eſt aſperſus; ita vt nihil in Catilina, quod non valde reprehendas, nihil in Fliſco apparere, quod non ſummopere laudes, facile affirmes. Sic itaque maxima vnius flagitia coniurationis ſcelere veluti fluctu operiuntur, alterius virtutes hoc vno crimine obſcurantur. Catilina cum in perditorum cuiuſq; generis hominum familiaritatem ſe effrenatius daret, multa largiebatur, plura pollicebatur: obſequio maiores natu, illecebris, doliſq; adoleſcentes capiebat, eos ad tantũ facinus patrandum ſibi ſocios aſciuerat, qui ſegnitie, dementia, ac perfidia cuncta adminiſtrãtes coniurationem, coniuratoſq; prodiderunt, ac perdiderunt. At Fliſcus pauperes liberalitate, diuites, optimateſq; humanitate, ac modeſtia, vniuerſos vero homines boni animi, ſimpliciſq; pectoris ſimulatione ſibi adiunxerat, deuinxeratq;, ac per ſummã calliditatem, & malitiam, ab initio ad coniurationis finem ita progreſſus fuit, vt arte, ingenio, & cõſilio, amicos inimicoſque vna falleret, atque inſtitutam rem, quo opta

uerat, exitu concluderet; altera nanq; ex coniurationibus ante deprehenſa, quam inſtructa, altera vero, quod difficillimum in primis, ac mirandum eſt, prius perfecta, quam vel cogitatione percepta. Cum enim ex duobus inter ſe ferè pugnantibus coniurationem omnem confici neceſſe ſit, vi, & ſilentio; uis multitudinem, ſilentium paucitatem coniuratorum exigit. Hinc plures extitiſſe conſtat, qui dum maximas colligere vires vehementius ſtuderent, re idcirco vulgara incendium, quòd in alios excitarent, ſua, ſuorumq; ruina compreſſerunt. Nam haud impune occulta multis creduntur. Alij vero vbi ea, quæ molirentur, vt penitus abdita eſſent, diligentius curaſſent, paucioresq; ideò participes ſui conſilij feciſſent, enerues, ac debiles ipſa graui coniurationis mole oppreſsi conciderunt. ita vtriq; in ijſdem anguſtijs deprehenſi, diuerſa formidantes mala, ac periculum varie declinantes, itemque affectantes, pari ſibi exitio fuere; ne vulgaretur itaq; coniuratio, quoniam elaborandum fuit, neque coniurationi vires vt deeſſent omnibus facultatibus enitendum, hos quaſi ſcopulos Fliſeum callidius Catilina ſuperaſſe, ac longiſsime diſcrepantia, diſiunctaq; ipſo Fliſco artificioſius coniunxiſſe neminem, ſatis perſpicuum eſt. Poſtremo Catilinæ iam ætate proue-

cto

ćto maximorũ ſcelerum veniam nullam ad ignoſcendum dari oportere; Fliſci facinus adoleſcẽtiæ nonnullam excuſationem habere æquiores iudices pronunciabunt. Quapropter natu minor, calliditate, aſtutia, ac vitæ innocentia longe ſuperior dicendus videtur. Neque eum iudicio prorſus falli exiſtimandum, qui aſſerat Ciceronem ipſum, ac ſapientiſsimum quemlibet virum Fliſci artibus facillime decipi potuiſſe. Niſi quis falſo opinetur Ciceronis vigilantiam potius, quam coniuratorum dementiam Catilinæ coniurationem detexiſſe. Verum in re militari vel ſatis impar, vel nulla vtriuſque collatio fieri poſſe videtur. Nam Catilinæ ab adoleſcentia, vt Salluſtius inquit, bella inteſtina, cædes, diſcordiæq; ciuiles grata fuere, ibiq; iuuentutem exercuit; Cumq; ei eſſet animus audax, corpus patiens inediæ, algoris, vigiliæ, acriter ipſe pugnando, vt ſuſceptum temeritate facinus virtute tueretur, occidit ſtrenui militis, atque optimi imperatoris munere defunctus. De Fliſci vero rebus geſtis quid eſt, quod proferre poſsis, niſi dixeris eum adoleſcentem, quanuis ſumma ſpe, & animi, & ingenij præditum, nullo tamen in bello nullum ſui periculum feciſſe, in ocioq; vitam traduxiſſe. Atqui longius opinione (vt aiunt) ſerpit aſpidis morſus. Nam clariſsimum omniũ

magnumque ipſa appellatione ducem apud Romanos eum extitiſſe non ignoramus, qui ante imperatoris, quam militis ſibi partes deſumpſit. Etenim Fliſcus rem tãtam primo quidem, in primis tamen arduam incredibili calliditate molitus non minori induſtria, quam animi in rem prȩſentis magnitudine ex ſe ipſo deprompta, & conatu perfecit, victorque aduerſo tamen caſu periijt, vt fortunato quaſi fortuna, victorique victoria inuidiſſe videantur. Catilina vero nimia vel confidentia, vel temeritate victus occubuit. Plerunq; enim contingit quibus plurimum ingenij tribuit natura, vt ijs parum prudentiæ impertiat At Fliſcus ſummũ ingeniũ, vt res ipſa demõſtrat, ſumma cum prudentia coniunxit. Si quis autem fortiſsimum militem, ac præclarum imperatorē contra Catilinam ſtetiſſe dixerit, cuius virtute ſuperatum eſſe eũ minime mirum, aut turpe fuerit, contra vero, Fliſci penè omnia in manu fuiſſe; reſpõderi põt; in ſumma imperatoris laude, hoc pſertim poni, circumuẽtos ſua induſtria inimicos poſſe nullo labore, vel ſanguine ſuperare. Propterea Popedio Siloni ijs verbis cũ Mario agenti, ſi quidem magnus es dux, o Mari, in æquam ad pugnandum planitiem deſcende, non inepte illũ ferunt reſpondiſſe: Immo tu ſi magnus es Imperator, o Silõ, eo me compelle, vt inuitus tecum

con-